


Justus Schoepffer Johann Anton Eitzen von

Disputatio Academica De Natalibus Philosophiae Sinensium

Rostochi[i]: Richelius, 1698

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732468051>

Druck Freier  Zugang



R u. phil 1698

DISPUTATIO ACADEMICA
De
NATALIBUS
PHILOSOPHIÆ
SINENSIIUM,

Quam

Auspicante Summo Numine,

&

Concedente Ampliff. Facultate Philosophica,

(Ita ut necessitas disputandi, sub Decani prasidio, ex speciali Collegii concessione, sit remissa.)

In illustri Univerfitate Varno-Baltica,

PRÆSES

M. JUSTUS SCHOEPFFER,

Qvedlinb.

RESPONDENTE

JOHANNES ANTONIO *Bizen/*

Sedinens-Pomeran.

ad d. Decemb. A. O. R. M. DC. IIC.

In Auditorio Majori, publico placidoque

Eruditorum Examine submittit.



ROSTOCHI,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Sen. Typogr.



PROOEMIUM.



*N*imia curiositas atro semper notata fuit lapillo. Veteres hieroglyphice, *rana oculos*, non male, ad hocce argumentum applicarunt; Hominem, inquit, eruditissimus *Job. Pierius Hieroglyphicor. L. XXIX. C. 39. p. 354. b.* in alienis negotiis explorandis, plus æquo, sollicitum, quique dicta factaque singulorum assidue percontetur, & impudenter arcanorum omnium spectator esse concupiscat, per Ranam Ægyptii significabant: Oculi enim animali huic prominentes sunt & emissitii, ut facile spectandi contuendique omnia curiositatem præ se ferant. *Sana* autem atque *erudita curiositas* cultores atque æstimatores numerat, & numeravit olim, longe plurimos, quorum nomen *Curiosorum* gestat frontem. Equidem *Curiosi* quondam dicebantur, qui delecti ex memorialibus atque ex agentibus in rebus, ab Imperatoribus per singulas provincias, modo bini, modo singuli, ad annum munus mittebantur, cursui publico invigilarent, ne scilicet citra evectionem quis

eo uteretur, & omnia, quæ geri in Republica viderent, ad Principis notitiam perferrent. *vid. l. 2. 3. 4. C. d. Curiosis & Stationar. L. XII. Tit. 23. ibiq; JCos.* Hodie autem illi Curiosi communiter salutantur, qui solliciti sunt de rebus rarioribus & non satis obviis. Inde hoc titulo gaudet *Societas in Germaniâ illustris*, inter præstantissimos Medicos, certis quibusdam legibus instituta, auctore *Job. Laur. Bauschio Medico celeberrimo*, qui Svinfurti in Franconico circulo, communicato cum aliis Medicis consilio, eam, An. 1652. ad imitationem Societatis Regiæ in Anglia, fundare constituit, ut scilicet præcipuæ & rariores naturæ curiositates, in triplici regno, Minerali, vegetabili & Animali, colligerentur, considerarentur, examinarentur. Unde toti postmodum Societati titulus, *S. Rom. Imper. Academia natura curiosorum*, impositus est, ab Imperatore Leopoldo *vid. Ephemeridum Medico Physicarum German. annus II. A. C. 1671 edit. & Junkeri Ephemerides s. Diaria Erudit. p. 32. seqq.* qui & plures Curiosorum societatum cultores recenset. *Conf. illustr. Samuel. Stryk. Diss. Volum. III. Diss. 13. de curiositate. C. 1. ibidemque cit. Sachsus in Gammarologia Lib. 1. c. 3. §. 20.* Eadem ratione aliæ etiam Facultates curiositati sanæ manus dedere. Sic videas in *Theologia eruditissimas dissertationes II. de sana & male sana curiositate in Theologia Anno 1675. Lipsia habitas Summe Reverendi Dn. Lic. Rechenbergii, Patroni, Fautoris & Præceptoris summa veneratione colendi, ibidemque citatos auctores. In Jurisprudencia Excell. Strykii Diss. supra cit: In Medicina Dn. D. Schaperi Patroni atque Fautoris æstimatissimi Disputationem, nuper habitam, Specimen Medicinæ curiosæ inscriptam. add. Le Sieur d'Emery Recueil de Curiositez rares & nouvelles dans les plus admirables effets de la Nature. edit. Lausanne 1681. in 8. In Philosophicis & omni curiositatis genere, D. Sylvii Bocc-*

nis

nis Curioſe Anmerkungen/ Leipzig 1697. *Jonſoni* *Tbaumatographiam naturalem*. Amſtelod. 1661. *Eraſm. Franciſci* *Schau-Bühne allerhand Curioſitäten Tom. III.* P. A. *Canonherii* L. VI. *de Curioſa Doctrina* in 8. Florent. 1607. *Jac. Gaſſarelli* *curioſitates inauditas* Gallice Anno 1629. & 1637. & cum notis *Georg. Michaëlis* latine Hamb. 1676. prod. & alia. Quibus pollicem premere conantur *Sinenſes*, ut pote qui rationis relicta monumenta, inter omnes barbaras gentes, meo judicio, optime curioſitatibus ſanis inſtrunt. Teſtantur id Scriptores ii, qui illas regiones perlustrarunt, eruditamque recenſionem ſimul ex libris eorum reliquerunt. Quorum perlustrationis cum nuper conſeſa eſt facultas, non potuimus nobis temperare, quin memoriae juvandæ gratia non nihil, rudi tamen *minerva*, conſignaremus. Cum vero *Philoſophiam* eorum ſal ſanæ rationis adhuc ſapere animadvertimus, de *Philoſophia Sinenſium* quædam, & quidem in ſpecie, hac vice, *Philoſophia Sinenſium Natales* delineare conati ſumus. Dividemus autem tractationem noſtram in IV. Capita, quorum

- I.) aget de *Philoſophia Sinenſium* in genere, ſive de terminorum in rubro poſitorum explicatione
- II.) De *Exiſtentia Philoſophia Sinenſium*.
- III.) De *Natalibus Philoſophia Sinenſium maxime ſcilicet*.
- IV.) De *Natalibus ejusdem verioribus*.

Cujus propoſiti initium, medium, & clauſula ut feliciter cedat, ſubmiſſiſſimis à DEO T. O. M. petimus precibus. Regat ille mentem, regat facultates noſtras debiles, regat atque cooperetur ille ipſe in hoc noſtro labore, ut omnia cedant in nominis ſui æterni gloriam, proximi utilitatem, noſtrumque commodum. Amen!

PHILOSOPHIA SINENSIVM IN GENERE.

CONSPECTUS.

- §. 1. Enucleatur Philosophia Etymon.
- §. 2. Homonymia Vocabuli Philosophia deducitur.
- §. 3. Subjicitur Philosophia in genere & in specie Sinensium Synonymia.
- §. 4. Vox Sinensium explicatur, & à regione, cujus variae denominationes & descriptiones subnectuntur, derivatur.
- §. 5. Homonymia vocabuli, China, Sina, vel Sinensis explicatur.
- §. 6. Cur Philosophia Sinensium dicatur?
- §. 7. Proponitur descriptio Philosophia Sinensis.
- §. 8. Divisio Philosophia Sinica in Theoreticam & Practicam.
- §. 9. Explicatio vocabuli Natales in rubro positi.
- §. 10. Quid per Natales Philosophia Sinensium intelligamus, indicatur?

§. 1.

Philosophia vocabulum Etymon suum non Romanis; sed Græcis debet. Habet enim illud $\delta\alpha\pi\acute{o}\ \tau\acute{o}\ \Phi\acute{\iota}\lambda\alpha$, $\kappa\alpha\iota\ \delta\alpha\pi\acute{o}\ \tau\eta\varsigma\ \sigma\omega\Phi\acute{\iota}\alpha\varsigma$, quasi dicatur $\Phi\acute{\iota}\lambda\acute{\iota}\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \sigma\omega\Phi\acute{\iota}\alpha\varsigma$, Amor Sapientia. (a) Accepimus illud à Pythagora, qui testibus Diogene Laërtio in ejus vita, Valerio Maximo (β) & Cicerone (γ) vetustius Sophorum nomen, cum Philosophi titulo permutavit. Et $\sigma\omega\Phi\acute{\iota}\alpha\varsigma$ five sapientiam veterum primus Philosophiam appellavit, eamq; appetitum dixit & velut Amorem Sapientia, dictante Jamblichio in vita Pythagoræ. (δ) Olim inquit Scheiblerus Oper. Log. (ε) Philosophia dicebatur Sophia Sapientia. Sed cum nomen hoc per ambitionem nimis frequenter assumeretur, ab iis etiam, qui minime sapientes erant, idcirco mutavit illud Pythagoras, & se non $\sigma\omega\Phi\acute{o}\nu$, sed $\Phi\acute{\iota}\lambda\sigma\omega\Phi\acute{o}\nu$ appellari voluit. Id autem hac occasione, cum elegantem & numeris omnibus absolutam orationem, coram Leontio Phlasiarum Rege diceret, eamq; Rex admiratus interrogaret Philosophum Samium, in quam arte esset sapiens? Respondit: se non esse $\sigma\omega\Phi\acute{o}\nu$ sed $\Phi\acute{\iota}\lambda\sigma\omega\Phi\acute{o}\nu$ vid. Lactant. (ζ) & Augustinus de Civit. DEI (η) ex quo Job. Schefferus in eleganti libello de Nat. & Constit. Philos. Italica. (θ) Jo. Saruberiensis in Polycratice (ι) Charrivinus. (κ) Quod nomen, inquit Augustinus, ita de-

inde

inde posteris placuit, ut quantumlibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrinam quisque vel sibi, vel aliis videretur excellere, non nisi Philosophus vocaretur. Quam etiam ob rationem nos h. l. ea voce usi sumus, non quasi rei significatæ accurate quadraret; sed ne semel receptam consuetudinem ridere atque nova affectare videamur. Inprimis cum Vocabulum *Philosophie* in latissima Sinarum lingua ignoretur, & si rem aliquantulum exosculantur. Vid. Erasmi *Muslund. Kunst-und Sitte* *ten Spiegel.* (λ)

(α) Vid. *Chauvinus Lexic. Philos. voc. Philosophia* & Plurimum Reverendi *M. Mascovii Patroni, Studiorumque Promotoris ætatem devenerandi Disput. Præs. M. Christi. Saalbach de Philosophie natura & constitutione Anno 1686. Gryphiswald. hab. §. 2. p. 2.* (β) *L. VIII. C. 7. n. 2.* (γ) *Tusculan. V. C. III. (δ) L. I. C. XXIX. p. 144.* (ε) *Tract. Proæm. Sect. I. p. 2.* (ζ) *Divinar. instit. L. III. C. 2. p. 199.* (η) *L. XVIII. C. 25. p. 399. & Cap. 37. it. L. VIII. C. 2.* (θ) *Cap. VI. p. 34. seqq. ubi hæc erudite deducit.* (ι) *L. VII. Nug. Cur. C. 4.* (κ) *in Lexic. Philos. l. c.* (λ) *L. IV. Cap. 9. p. 1268.*

§. 2. Cum Vocabulum *Philosophie* *πύσημον*, variosque admittat conceptus, ut *ὁμωνυμίας* ejus paucis delibemus, unamque ex variis, nostro negotio consonantem, seligamus significationem, ratio postulat. Sumitur autem vox *Philosophie* diversimode (1.) *strictissime* pro sola *Metaphysica*, quæ Aristoteli (α) *Philosophia absolute* & *κατ' ἐξοχήν* dicitur, (2.) pro sola *Philosophia Theoretica*, cui per *ἀπηνεμασίαν* hoc nomen tribui solet, (3.) pro sola *Philosophia Practica*. Quo sensu *Plato in Phædone* eam usurpat. (4.) *Latissime* ut etiam superiores Facultates, *Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam* sub ambitu suo complectatur, (5.) pro *artibus Mechanicis & illiberalibus* (6.) sumitur interdum etiam ap. Scriptores Græcos pro *instituto vitæ Monasticæ*, ap. quos & *Monachi* sæpe dicuntur *Φιλοσοφῆν*. Nam cum *Philosophia* sit amor *Sapientiæ*, & *Philosophi* *Sapientiæ studiosi*, & *Sapientia*, quæ desursum est, sit multo verior quam ab hominis ingeniis profecta, multo verius bonos *Monachos & religiosos*, quam *Platonem & Aristotelem Philosophos*, & *philosophari* dici posse judicat *Pontanus* (β) (7.) Accipitur nonnunquam pro *certa Scientia*, quæ ex notis *litterarum* singulis gentibus familiarit us, ex scribendi ratione modoque primas illis, animi, indolis, ideas impressas dijudicat, dicitur-

citurque *Philosophia Alphabetaria*, de qua vid. nunquam satis laudatus *Morbofius in Polyhist.* (γ) & de illa iudicium ap. *Thomafum* (δ) conf. *Schotti Technic. Curios.* (ε) (8.) Pro eleganti *Emblematum cognitione*, & salutatur *Philosophia Imaginum* sive *Emblematum*. Quam eleganti libro exhibuit *C. F. Menestrierius Philosophia Imaginum* i. e. Sylloge Symbolorum amplissima, inscripto (ζ) conf. *Picinelli Mundus Symbolicus* (η) (9) Pro fabularum & doctrinalium historiarum Idolorumque scientia, diciturque à *Joan. Revez de Moya Philosophia Secreta* in libro illius hoc titulo (θ) (10.) Proprie, stricte atque determinate pro habitu, qui omnes *Disciplinas, quæ sapientiæ, scientiæ & Prudentiæ nomine appellandæ veniunt*, comprehendit. Vid. *Micralius*, (ι) *Keckermannus*, (κ) *Scheibleerus*, (λ) *Galii*. Nos sumimus, hæc vice, in sensu ultimo, pro Philosophiæ habitu, terminis tamen non in rigore philosophico, sed paululum ampliori sumtis, quatenus scilicet illi à populo remotissimo re ipsa usurpantur.

(α) *L. IV. Metaphys. II.* (β) *in notis ad Theophylact. L. I. C. XIV p. 232. sq. edit. Paris. è Corp. Byzantino.* (γ) *Part. I. L. I. C. XII. p. 115.* (δ) *Im Monats Gespräch P. II. An. 1688. mens Novemb. p. 592 (ε) L. XII. p. 903. sqq.* (ζ) *prodiit Amstelod. & Gedani 1695. in 8. (η) & quidem V. Cap. præf.* (θ) *Italice Anno-1599. Saraguse in 8. exc.* (ι) *Disputat. de Philosophia in genere, ejusdemque usu in SS. Theologia Sctin. 1652. hab.* (κ) *L. I. C. I. p. 6. 7. 8. Præcognit.* (λ) *l. c. præf. Proæm. de Philosoph. S. I. p. 2.*

§. 3. De *Synonymia* non multa subjicimus, dum illa passim obvia sit, dicitur enim Amor & studium sapientiæ, *Ciceroni*, (a) *Virtutis Magistra eidem*, (b) *Ars artium & scientia scientiarum Damasceno*, (c) *Chaldæis Magia*: *Judæis Cabbala* vid. *Micralius* (d) & laudat: *Dr. M. Mascovii Disputat.* (e) *Ipsius Sinis salutatur Principium sciendi*, expositio & cultus rationalis naturæ à cælo indita, renovatio & reparatio populi, perseveratio in summo bono, annotante *Couplet. in Consuetio sive Scientia Sinensi* (f) *Item Virtutum inhiatio*, magnorum virorum doctrina, summi boni consecutio, sui ipsius perfectio, vera rerum cognitio scientiaque, rationi consentanea, corporis sensuumque perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex virtute constitutio. Vid. *Martinus* (g).

(a) *L. II. Offic. conf. August. L. VIII. de Civit. D. C. IX.* (b) *V. Tusulan.* (c) *Dialect. C. III.* (d) *l. supra cit.* (e) *sup. cit. §. 4. p. 4. ubi Gottfridi Zapfi*; qui sapientiam naturalem, & *Hobbesii* qui *Rationem*

SINENSIIUM IN GENERE.

9

tionem naturalem pro Synonymis habent, opiniones examinat (f)
L. I. t. 1. p. 1. §. 1. edit. Paris. 1687. (g) Hist. Sin. Dec. I. L. IV. p. 147.
 §. 4. Est autem *Sinarum, Chinesisum vel Sinesium* Vox (coincidunt enim illæ) à *China vel Sina* Asiæ regione. Quæ apud diversos diverso etiam honoratur titulo, observantibus viris Geographicis & eruditis *Louis Moreri* (1.) *Baudrand* (2.) *Samson d'Abbeville* (3.) aliisque: *Cin* enim appellatur à Regni Siami incolis, *Cocin* à Sinis, *Than* à Japonis, *Han* & *Cataya* à Tartaris. *China* nomen quod *Ptolomæus* usurpat, & *Europæi* plerumque, ipsis *Sinensibus* incognitum est, nec diu uno utuntur nomine. Quæcumque nova familia regnum auspicatur, novum regno suo nomen imponunt. Aliquando vocabatur *Than* i. e. Valde magnum. Tum *Vu* requies. Deinde *Hiaa*, magnum. *Scia* adornatum. *Cheu* perfectum. *Han* via lactea cœli. Sub familia quæ hodie regnat, *Tamin*, regnum magni splendoris. Communissimo autem nomine *Chinensibus* *Coumano* regnum, & *Chiumbea* hortus salutatur. Vid. *Georg. Hornius* (4.) Accuratus adhuc hanc partem exantlavit rerum *Sinicarum* vel indagator vel Commentator eruditissimus *Andreas Mullerus Greiffenb. in Opuscul. Oriental.* (5) ubi enucleat I. *Varias lectiones*, & quidem (a) *Arabum* quibus *China* dicatur *Gyn* vel *Tzin* (β) *Europæorum*, & quidem in specie *Germanorum*, quibus *Tzina*. (γ) *Italorum*, quibus *Cina* vel *Cini* (δ) *Lusitanorum*, quibus *China* vel *Chines* item *Cym*, *Sym*, *Cimum*, *Kimi*, *Xun* & *Schine*, *Singtei*, *Sinna*, *China*, *Chyni*, *Sim*, *Cin*, *Sin* &c. dicatur (ε) *Ebræorum* à quibus *יִבּוֹ* vel *יִבֵּי* (ζ) *Græcorum* à quibus *Σίνας*, *Θίνας*, *Χάρα Σιν* &c. nominetur, & addit II. *Synonymias*, illasque vel (a) ejusdem originis, ut *Cimum* vel *Macimum* & *Cinimagin* vel (b) diversæ originis, ubi producit (α) *Domestica* Synonyma, eaque vel *Propria*, ubi *Sina* quidem nomen non invenitur, substituuntur tamen alia à *Familiis* regnantium desumpta e. g. *Cing* & *Ta-cing* hodie. *Cheu* *Chevarum* tempore, *Hia*, *Hiarum* seculo &c. vel *Panegyrica* ubi *Chungque* i. e. *Regnum mediterraneum* & *Chung-hoa*, quod *floridissimum* medium est. (β) *Exotica*, illaque vel *Sarcastica*, vel *vulgata*, ut *Chatai* *Arabibus*, *Græcis* *Serica* &c. Est autem ut propius ad rem accedamus, *China* *ampla Asia* regio, *maxime in orbem extensa*, *cultissima*, & *mire rigua ac fertilis*, *cujus limites à Septentrione*, *Regia Tanguum* & *Niulbanum in Tartaria magna*, à qua separatur *partim montibus excelsis*, *partim muro 500. fere leucarum*. *Ab Occiden-*

B

te

te, India extra Gangem & Regnum Annamiticum, à meridie mare Indicum sive Eoum & Orientale, quod & Sinicum dicitur. Vid. Baudrand. (6.) Ab hac itaque Regione, variaque illius denominatione, varia etiam fluxerunt nomina, & tituli Sinensium; Dicti enim sunt vel *Seres sive Seræ* secundum *Trigaut. Exped. sin.* (7.) *Is. Vossium animadu. in Pompon. Melam.* (8.) vel *Sinæ* quod nomen jam olim *Marcianum* ὠπερηνήτων scriptorem vetustissimum (cujus MSS. in Amplif. Biblioth. Oxoniensi reperitur) usurpasse; idque retinuisse *Ptolemaeus in Geogr.* (9.) hinc Lusitanos illam accepisse, non vero ex Siam vel Cocinchina, auctor est *Spizelius* in elegantissimo libro, *de Reliterar. Sinens.* (10.) In qua Sententia plurimi scriptorum consentiunt, nisi quod eruditiss. *Tenzelius* (11.) à *Cosmo* Monacho *Andopleiste*, nomen *Tzin*, in scriptis suis primum usurpatum esse, referat. Quod si ita est, videmus, quod non immerito vitiosam *Cbinensium & Chinaram* appellationem taxet *Scaliger.* (12.) ut quæ vitio Lingvæ Lusitanæ, sibilum *Tz* non exprimentis in omnem Europam propagata sit. Confirmat hoc ex *Job. Ludolfi Specim. Commentar. Æthiop. Tenzel.* (13.) ubi asserit: Chinam legi debere *Tschinam* & Chineses *Tschinesenses*. Nos hunc populum *Sinenses* vel *Sinas* appellabimus, aliis hanc pronuncian-di controversiam relicturi. Inprimis cum habeamus fundamentum in re. Debet enim illud nomen juxta laudatum *Mullerum* (14.) originem Regi cuidam *Ching vel Xivang* dicto. A quo *Chinge Cinarum* prosapia *Sinarum* Monarchâ, *Sinarum Imperium* hodieque id nominis gerit ap. Exteros, quia sub *Cinis* primum innotuit, tam per Alexandri expeditionem (de quo vid. *Horn. Arc. Noæ* (15.)) quam per *Chingi* progressus vid. *Martin. H. S.* (16.)

- (1) *Le Grand dictionnaire Historique* T. I. voce *Chine* p. 880. edit. Lyon. 1683. (2.) *In Geographia* voc. *China* Tom. II. p. 239. edit. Paris. (3.) *Geographia exactissima* oder *ganße Erde* *Rugel de Asia* p. 47. edit. Germ. Franf. 1679. (4.) *de Originibus Americanorum* L. IV. C. IV. p. 233. (5.) *Comment. Alphabet.* p. 52. (6.) *Geograph. h. c.* p. 239. (7.) L. I. p. 4. (8.) L. III. de *Sit. orbis*, Cap. 7. & L. I. C. II. vers. 20. p. 8. (9.) *Lib. VII. C. III. p. m. 179.* & *Lib. VI. C. IX. p. 158.* (10.) *Sect. I. p. 3.* (11.) *In Monatl. Unterred. Mens. Februar. An. 1697.* p. 137. (12.) *Isagog. Can. L. III. una cum Animadvers. ad Euseb. Chron. edit. p. 327. conf. Lib. de emend. Temp. p. 346.* (13.) *Monatl. Unterred. Mens. Maj. An. 1689.* p. 487. (14.) *Anno-*

Annotat. in Abdal. Hist. Sin. p. 37. (53.) num. 187. (15.) p. 434. (16.) p. 195. add. Trigaut. Exped. Christ. p. 25.

§. 5. Non autem confundenda sunt nomina *China* & *Sina* &c. sed verus conceptus formandus, sumitur enim vel pro urbe, ut ap. *Ptolom.* (a) vel pro Regno, ut frequentissime apud Geographos, vel pro populo ut communiter, vid. *Hoffman. Lex. Univ. Histor. Geograph.* (b) vel denique pro radice, quæ in Sinis, & quidem vera in provincia Suchuenia provenit, Sylvestris vero ubique, vide Medicos (c) de Sinai monte nihil est quod addam, cum ejus distinctio sit quam notissima vid. tamen Geographos. Nobis h. l. de populo *Chinæ*, *Sinæ*, vel *Sinenses* dicto, sermo est.

(a) *L. VII. C. III.* (b) *Tom. II. Voce Sinae p. 357.* (c) *Cit. in Jac. Pancrat. Brunonia Lexic. Medico voce China p. 290. quibus add. Jul. Cas. Claud. in Tract. de natura & usu lactis & Seri, Chinæ radice &c. editus cum Consiliis Medicorum Italiae à Job. Lauterbachio Francos. 1605. in 4. &c.*

§. 6. *Chinica*, *Sinensis* vel *Sinensium* dicitur *Philosophia* nostra, ad distinctionem *Philosophiæ Ægyptiorum* (a) *Chaldaeorum* (b) *Magorum* (c) *Indorum* (d) *Græcorum* (e) &c. ne scilicet confusio falsusque rei conceptus oriatur. Determinatio enim rei, est aliarum rerum remotio, & difficultatum explicatio.

(a) Vid. *Hoffman. Lexic. Univers. Cont. Tom. II. voc. Philosoph. p. 489. & Stanlei Histor. Orient. Philosoph. P. II. C. I.* (b) Vid. *Scheffer. Philos. Ital. C. V. p. 25. & Stanlaus l. c. P. I. C. IX. Job. Micrael. Lexic. Philosoph. voc. Philosophia p. 906.* (c) Vid. *Job. Baptist. Gramaye Asia in Analect. Antiquitat. Babyloniarum Scilicet. I. p. 310. ubi IV. Magorum species recenset, nimirum (1.) Necromanticos, qui circa cadavera occupantur. (2.) Pyromanticos, quorum vaticinia ex igne sunt. (3.) Aëromanticos, qui in aëre & ibi natis contemplantur. (4.) Hydromanticos, qui aquâ ad suas superstitiones abutuntur.* (d) Vid. *Scheffer. Philos. Ital. C. IV. p. 17. Seb. Gorbosfr. Starkii Specimen Sapientie Indorum veterum Græce & Latin. Berol. 1697. in 8. edit.* (e) Vid. *Hoffmanni Lex. l. c. & Scheffer. Philos. Ital. sepius citata.*

§. 7. Dilucidatâ *Ὀνομαστικῶς* *Philosophiæ Sinensium*, ut ad ipsam *περὶ μαθητικῶς* accessum faciamus, jubent *Methodi* *Scriptores*. (a) Ubi primum locum occupat definitio. Quæ cum de *Philosophia* in genere considerata exacte suppeditari nequeat, (b) quia *Philosophia* non est res unius *Prædicati*, sed eorum numero aggreganda, quæ aggregata

& Collectiva Logicis audiunt. Nemo à nobis expectabit accuratam Philosophiæ Sinensium definitionem, vel descriptionem. Quid quod nostra tractatio majori adhuc difficultate prematur, dum longinquitas loci omnia exhaurire ex voto non concedat, & penuria scriptorum non leve faceffat negotium. Illius itaque aliqualem Descriptionem suppeditamus, atque dicimus: *Philosophia Sinensium est habitus mentis Incolarum Sinae, ex rationis principiis studio & usu comparatus, Intellectum cognitione veri, & voluntatem actione boni instruens atque perficiens. Eruditus Martinus ex* "Mente Confutii (c) eam his delineat verbis. Magna, sive magnorum viro-

"rum doctrina, in eo posita est, ut, cum quisq; seipsum perfecerit, alios

"quoque perficiat, sic, ut omnes unum, hoc est, summum bonum consequantur. Prætereo reliquarum sectarum opiniones & descriptiones, alia forsan occasione (quia in iis ipsa eorum dogmata latent) eas propositurus.

(a) Scharff. in *Process. Disputat. C. III.* (b) *vid. Præcellent. M. Mascovii Disp. l. c. §. 6. p. 6.* (c) *Histor. Sin. Dec. I. L. IV. p. 147.*

§. 8. Ex qua definitione non obscure elucescit, *Philosophiam Sinensium*, una cum nostra dividi posse in *Theoreticam & Practicam*. Nam quemadmodum *Theoretica* illa est, quæ res sibi subjectas contemplatur & intelligere docet, & *Practica* quæ circa res sibi subjectas non tantum cognoscendo occupatur, sed simul etiam ad ipsam actionem tendit atque deducit. Ita etiam *Sinensium Philosophia*, partim *circa res contemplabiles* nude cognoscendo versatur, partim *circa res operationi subjectas* cognoscendo & operando occupatur. Ipsi enim Sinenfes sui ipsius primo cognitionem, mentisque suæ instructionem, nec non *Physices* (a) & *Mathematicarum* v. g. *Arithmeticæ, Astronomiæ, Astrologiæ, Geometriæ*, aliarumque scientiarum notitiam non vulgarem urgent. *Vid. Martinus, (b) Trigaultius, (c) Müllerus, (d) & Neuhof. (e)* Postmodum tanquam caput atque cor etiam tractant *Philosophiam practicam*, modeste, caute & honeste vivendo, Familiam propriam recte instruendo, & denique imperium in florem maxime florentem ponendo, & verbo actiones pariter ac voluntatem perficiendo. *Vid. Spizelii Libellus nitidissimus & eruditissimus de Re literaria Sinensium. (f)* Ex quibus colligere licet, errare omnes eos, qui *Philosophiam Sinensium Scientiis Theoreticis* carereasserunt.

(a) *Vid. Mendoza L. I. descript. Sin. C. V. P. I. edit. German.* ubi multa de

de Mundi ortu ex mente Sinarum, & ut ipse loquitur ex ipsis Chinenſium libris collecta reperies. Et *Athanaſ. Kircher. Chin. illuſtr. p. 29. Neuhoffs allgemeine Beſchreib. des Reichs China p. 305.* ubi de eorum elementis quinque Aëre, ligno, igne, aqua & terra differit. (b) *Hiſt. Sin. L. I. p. 13. 17. 27. & paſſim.* (c) *L. IV. de Expediſt Chriſtian. apud Sinas C. V. p. 400.* Ubi Spæbras aliquot Cœleſtes, quas Pechini vidit, recenſet. Confer, *Dan. Bartol. Part. III. Hiſtor. Aſiat. L. I. p. 40. ſeq.* (d) *Comment. Alfab. voc. Aſtronomia Sinenſium p. 7.* Ubi refert: Chinenſium Aſtronomiam duas habere partes: Alteram quam *Tien ven* vocant & Aſtologica eſt, & pars judiciaria. Alteram *Lie-fa*. Eſtque Theoretica (e) *l. c. p. 292.* (f) *ſect. VIII. p. 128. ſeqq.*

S. 9. Reſtat tertium Vocabulum *Natales*, quod deſcendit à naſcor (a) proprie eſt tempus, quo quis natus eſt, & naturali generatione in lucem prodiit, ſive die, ſive noctu id contigerit, ut fuſe explicat Varro, apud *A. Gellium Noct. Attic.* (b) Non confundendum cum voce *Natales* n. plural. quæ conditionem ſanguinis & familiæ ſignificat. Cuius Edictum oder Geſchlecht quo nomine nobis h. l. non venit vid. *Faber.* (c) Accipitur multifarie: Legimus enim (1.) *Martyrum mortis diem* vocari in priſca Eccleſia *Natales*, non quibus nati erant, ſed quibus paſſi de ſeculo abierant, vid. *Sagittari diſputationem ſolemneſſe de Martyrum natalibus* (d) & *Joh. Frid. Meieri ſcriptum Germanicum nuper editum cui titulus der unſterbliche Lutherus* (e) quid quod & *Seneca diem mortis æternae diei Natalem* vocet (f) (2.) *evectionem plebejorum ad nobilitatem* evectorum *Natales* dici. (3.) *Feſta Deorum* apud Gentiles appellari *Natales* (4.) apud Chriſtianos pro *diebus feſtis* uſurpari. Sic videas in Eccleſia Romana Feriam V. in Cœna Domini, quod eo die S. Euchariftia à Domino fuerit inſtituta *Natalem Calicis* nuncupari, item *Natalem Euchariftia*. Simili modo in genere quatuor præcipue Anni feſtivities *Natales* Gallis *Jours Nataux* ſalutantur, nec non quilibet dies ſanctorum in eadem Eccleſia *Natalis* audit, (5.) animadvertimus, Antiquos omnes dies propter aliquam latitiam inſignem ſibi *ſolennes*, *Natales* vocari. Hinc Hegio Plautinus, cum audiviſſet adveniſſe filium ſuum captivum: *Dij immortales*, inquit, iterum natus videor. Et Principes olim quod etiam hodierna adhuc tempeſtate apud quosdam in uſu eſt, *duos dies*, *Natales* dictos, celebrabant: *Genitalem* ſive diem nativitatſ, & *delati Imperii*. Quibus

bus nonnulli addiderunt tertium *Adoptionis* Natalem vid. *Hofman. Lex. Univerf. Contin.* (g) auctoresque citati. (6) Observamus denique *Natales* non ineleganter *quarumvis rerum origines* appellari. (h) Quo sensu etiam nobis hoc loco venit.

(a) *Vid. Caleppini Dictionar. Voce Natalis & Nascor p. 980. & p. 978.* (b) *L. III. C. II.* (c) *In Thesauro voc. Natales p. 1657.* (d) *Præsidio Musei Jenæ 1678. edit. (c) p. 4. seq.* (f.) *vid. Hoffman. in Lex. Univerf. Continuat. T. II. voce Natalis p. 173.* ubi etiam Prudentii verba Peristeph. Hymn. II. de Passione Hippoliti Martyris in medium adducuntur. (g) *loc. mox citat.* (h) *vid. Fabri Thesaur. Erudit. Scholast. vocab. Natalis p. 1657.*

§. 10. Quod si igitur *Natales Philosophiæ Sinensium* sub incudem nos vocatuos dicimus, per eos nihil aliud intelligimus, quam qualem qualem tractationem, *de ortu & origine Philosophiæ Sinensium*, unde scilicet, & ex quo fonte fluxerit eorum eruditio prima, partim secundum ipsorum Sinensium opinionem, partim secundum rei veritatem. Quemadmodum autem in omni obsoleta antiquitate Gentilium accidit, ut eam fabulis implicatam videamus; ita etiam Sinensium antiquitatem Philosophicam, *maximè & incredibilibus figmentis* implicatam & circumseptam quasi reperimus. Minime autem eapropter dicendum, eam plane esse rejiciendam, aut nihil plane sani continere. Insequitur enim fictam antiquitatem Sinensium *vera & sincera veritas*, quamvis fabularum tenebris nonnunquam obsecurata.

CAP. II.

DE

EXISTENTIA PHILOSOPHIÆ SINENSIIUM.

CONSPECTUS.

- §. 1. *Introitus ad hoc Caput; de dubio existentie.*
- §. 2. *Inter Gentiles parum adhuc Philosophiæ lucis restat. Sinenses excipiendi, qui Philosophiæ sunt aestimatores.*
- §. 3. *Status Quæstionis evolvitur.*
- §. 4. *Affirmatur Quæstio, & probatur Argumentis à subjecto, Objecto, Principiis, & adjunctis petitis, dari Philosophiam Sinensium.*
- §. 5. *Demonstratur eadem unanimi consensu scriptorum Europæorum de Regno Sina scribentium. Ubi auctores de Sina tractantes, recensentur*

§. 1. Post-

§. 1.

Posteaquam *Cap. superiori* §. 7. Philosophiam Sinensium quali quali modo descripsimus, nulla mentione facta *Quæstionis* præliminaris: *An etiam detur Philosophia Sinensium?* ex quo facile inutilis laboris suspicio oriri possit, operæ pretium nos facturos judicavimus, quod si objectionis illius difficultati pro viribus obviam iremus, atque existentiam Philosophiæ Sinensium, hoc loco, paululum altius consideraremus.

§. 2. Negari equidem non potest, inter Gentiles paucas esse Nationes, quæ Philosophiæ lucem curant atque in oculis gerunt: Neutiquam tamen ea propter concludendum, nullos omnino dari Paganorum, qui rationis adhuc relicta monumenta venerentur. Soli enim Sinæ, de quibus nobis h. l. sermo est, longe aliud demonstrant. Ut pote qui, (quamvis omnigenam Philosophiam non calleant,) eam tamen tanti æstimant, ut nec probum, nec justum esse posse, autument, qui Philosophiam non didicisset. Unde Sinis idem est, amare literas, ac bonum esse, narrante Martino (a) Neque facile permittunt Homines imperitos & nulla eruditione imbutos publica munera administrare. Adeo, ut Regimen universum solis eruditis tradatur, ne rebus bellicis exceptis, vid. Francisci *Aufwert. Kunst- und Sitten-Spiegel.* (b) Merito igitur quærimus an etiam apud Sinenses detur Philosophia.

(a) *Hist. Sin. L. IX. p. 395.* (b) *L. IV. Sect. 9. p. 1268.*

§. 3. Quæstio autem h. l. non est de Philosophia *in genere*, sed *in specie de Philosophia Sinensium.* (2) Non de Philosophia *improprie* dicta, pro qua vis scientia sive Theoretica sive Practica singulatim sumta, sed de *Philosophia proprie, strictè & determinate spectata*, pro habitu, qui intellectum cognitione veri & voluntatem actione boni instruit. (3) Non *accidentaliter & Systematice*; sed *essentialiter & habitualiter* quatenus Sapientum inhaeret animis. (4) Non de Philosophia *pura* & per omnia vera, sed de *impura & cum variis figmentis & à vero alienis dogmatibus commixta* (5) Non tantum de Philosophia *priorum temporum*, sed & de ea, quæ est *presentis temporis.* (6) Non tantum de *rudi & informi* Philosophia; sed & de *magis exculta,* (7) Non de Philosophia *perfecta*, sed *imperfecta* i. e. de Philosophia non omnes habitus, sed tantum quosdam & præcipuos in se continente.

§. 4. Statu quæstionis formato concludimus, omnino *existere Philosophiam*

lofophiam *Sinensium* i. e. dari certam aliquam rerum Philosophicarum notitiam apud Sinenses Asiae populos. Quod probamus [1.] à *Concreto*, Ubicunque inveniuntur magno numero Philosophi, ibi etiam invenitur Philosophia, atque in Sina inveniuntur Philosophi, E. Major in aprico, ubicunque enim prostat concretum, ibi etiam abstractum. Minor autem constat partim ex omnibus Scriptoribus Sinicis, partim ex sequentibus, [2.] *Ab Objecto*. Apud quoscunque instruitur Intellectus Veri cognitione, & Voluntas boni actione, ibi existit, seu colitur, Philosophia. Atque apud Sinenses, E. Major salva, utpote Philosophiæ definitionem exhibens. Minor probatur, quia (1.) Confutius, Sinensium Plato, tria millia discipulorum, Philosophiam ex ore ipsius excipientium habuit, ex quibus septuaginta duos exquisitissimæ doctrinæ; duodecim vero lectissimos Philosophos, id est omnibus doctrinis instructissimos numeravit. Vid. *Martin.* [a] quia (2.) Doctores adhuc alunt eruditissimos, qui juventutem instruunt scientiis elegantissimis, doctissimis, Vid. *Alvarez Semedo* [b] (3.) quia Intellectum instruunt doctrinarum Philosophicarum cognitione, nimirum Physicâ, Arithmeticâ, Geometriâ, Astronomiâ, (ut supra C. I. §. 8. annotavimus,) item Chronologiâ [c] Historiâ [d] Geographiâ [e] Musicâ [f] Architectonicâ [g] & aliis (4.) quia Voluntatem Ethica i. e. actione optimarum virtutum informant, atque nihil magis, quam morum accuratam culturam colunt, in iis enim inculcandis fere omnigenam impendunt curam. Consistit autem Moralis Sinensium doctrina in hominis instructione: cui, quæ societatis est appetens assignant gradus quinque. Primum Patris & Filii; alterum Viri & Uxor; (3.) Regis & subditi; (4.) Amicorum (5.) denique fratrum faciunt. Hos quinque gradus vocant magnos & cardines aliorum. Agunt deinde de parvis gradibus, qui ad visitandos tractandosque hospites, morum item civilitatem, atque modestiam, ac totius adeo corporis decentem compositionem pertinent. Præterea tractant de tribus virtutibus præcipuis, prudentiâ, pietate, ac fortitudine. Ait autem Confutius, prudentiâ ritus omnes sciri atque cognosci; fortitudine exerceri atque expleri; pietate denique nos illis conjungi ac velut inferi [h]. [3.] *A Principiis*. Quorum Confutius potissimum tria posuit; *Cælum, hominem, terram*. Unde triplicem quoque scientiam facit, cœlestem, humanam, terrestrem. In cœlo terraque noscenda scientia naturalis occupatur. Hinc Sinae Philosophi, de spirituum bonorum ac malorum natura, de cœlorum siderumque motibus, de quatuor tempo-

temporum varietate, de agris, eorumque situ, aptaque ad culturam divisione, deque aliis multis multa disputant. In homine autem instituen- do tota est moralis scientia [i] Ubicunque igitur certa ponuntur principia; ibi etiam ponendum principiatum. Atqui in Sina à Sinensibus Philosophis. E. datur etiam Philosophia. [4.] *Ab adjunctis*: Habent libros Philosophicos de Philosophia eorum conscriptos. E. datur. Philosophia. *Mendoza* [k] enim septem & viginti species librorum enumerat, quibus Philo- sophia Sinensium contineatur. Alias Sinicæ Philosophiæ eruditio in genere & in se Consisterata, quinque libris sive Tomis contineri dicitur. Ad quemlibet eorum Imperator Hiaovus Professore ordinavit, qui illius con- tenta aliis legeret. Primus dicitur *Jeking* sive Liber mutationum; cu- jus Doctrinæ figuris & signis proponuntur. Secundus *Xuking* sive Liber Librorum, aut Librorum doctrina audit, atque continet, Compendium Historiarum de factis priorum trium familiarum. Tertius est Poematum liber, *Xiking* nominatus, explicans naturas rerum. Quartus est *Liking*, sive Liber humanitatis & morum, in quo ritus, mores &c. tractantur. Quintus denique appellatur *Chuncieu* quod idem ac Ver & autumnus &c. & Confutium agnoscit Patrem. In theatrum autem producit multam Re- gum bonorum & malorum copiam, quorum imitatio posteritati sive com- mendatur, sive disvadetur. vid. *Alvarez Semedo* [1]

[a] *Hist. Sin. L. IV. p. 140.* [b] *Histoire Universelle du Grand Royaume de la Chine P. I. C. VII. pag. 53. edit. Gallic. traduit. en Francois par Lova Coulon. Paris Anno 1645.* [c] *vid. Martin. Hist. Sin. Præfat. ad Lector. p. 6.* ubi Chronologiam Sinensium tanquam certissimam deprædicat, nixa scilicet temporum cyclo, (quem Sinæ jam inde à primis retro initiis annorum sexaginta cursu definierunt) & Side- rum observationibus ab orbe condito antiquissimis, Dionysio, Era- tosthene, Hipparcho prioribus; quæ in omni Chronologia pro tem- porum norma sint habitæ, quippe bases & characteres temporum naturales, ideoque certæ. [d] *vid. Martin. L. c. p. 7. & L. 1. p. 20.* ubi, Historiam Chinesium ut fide dignam maximoperè commen- dat. Ut quæ Imperatorum jussu perpetua serie sit continuata. Fuit enim & est etiamnum genti huic usitatum, ut doctissimis aliquot Philosophis Imperatoris defuncti res gestæ conscribendæ à successore mandentur, fucis & adulatione omni remota. Quod munus apud ipsos cumprimis est honorificum, & à summis quibusque vitis ex- petitum.

C

petitum. Hinc Historia Sinica ita sibi semper similis continuatur, ut, quanquam ab alio atque alio succedentibus annis adaucta, unius tamen auctoris esse opus videatur. [c] *vid. Martin. Atlant. p. 121. 6.* Ubi quâ curâ rem Geographicam tractent describit. Præfecti Chineses, inquit, accuratam omnium locorum, suæ curæ traditorum, apud se solent asservare tabulam. Quod per totam Sinam apud omnes Præfectos moris est. Vnde vix credo, accuratiores ullâ in regione locorum omnium esse tabulas & observationes. *Vid. Mulleri Imperii Sinensis Nomenclator. Geographicus in Præfat. p. 2. seqq.* ubi doctissime & nitidissime de Rebus Geographicis Sinensium, item de Mappis tum incolarum tum aliarum gentium disputat. *Continetur hic tract. in Op. suo Orient. Part. VI. [f] vid. Alvarez Semedo. P. I. C. XI. p. 77.* qui hunc in modum disserit: La Musique, estoit autre fois si prisee en la Chine, qv' un des plus importants employes qv' eut le Philosophe Confusio, aux endroits qv' il gouvernoit, estoit d'introduire le preceptes & l'usage de la Musique &c. confer. *Trigaut. Expedit. Christ. L. IV. C. 6. P. Didacus de Pantoya in Epist. ad P. Gutzmannum. Martin. Hist. Sin. p. 28. 301. [g] Vid. Neuhoff in der allgemeinen Beschreibung des Reichs Sina C. X. p. P. Kircher. China Illustr. fol. 219. Mendoz. P. I. L. I. C. 9. &c. [h] Vid. Mart. Hist. Sin. L. IV. p. 148. [i] Martin. l. c. p. 148. [k] Descript. Sin. P. I. L. II. c. 17.* Ubi contenta eorum paucis etiam delineat. [l.] *Histoire Univers. de la Chine P. 1. C. X. p. 70.*

§. 5. Quoniam Superiori §. n. 4. librorum Sinensium innatorum meminimus, ex eo argumentum probans, dari Philosophiam Sinensium deducturi, incidit, non leve etiam momentum peti posse ex unanimi Consensu nostrorum Scriptorum, Res de Chinæ Regno consignantium. Quos inter eminent Dux quasi atque viam monstrans *Joa. Consalvus de Mendoza in Descriptione Sinae Regni (a)* Sequuntur. *Martinus Martini in Historia Sinica (b)* & *Novo Atlante Sinensi (c)* *Athanas. Kircherus China illustrata (d)* *Nic. Trigautius sive Trigaltius Expeditione Christiana ap. Sinenses suscepta à Soc. Jes. (e)* *Theophilus Spizelius in libello sapius laudato, de re literaria Sinensium. (f)* *Joh. Neuhoff in der Ost-Indischen Gesandtschaft der vereinigten Niederlanden an den Tartarischen Cham, und nunmehr auch Sinischen Käyser (g)* *Alvarez. Semedo Histoire Universelle du Grand Royaume de la Chine (h)*

Adam

Adam Preyelius in Admirandis Sinae & Europæ (i) Confutius Sinarum Philosophus sive Scientia Sinensis (k) Andreas Mullerus Greiffenbag. in Opusculis Orientalibus (l) Christ. Menzelius In der kurzen Chinesischen Chronologia oder Zeit-Register aller Chinesischen Käyser (m) Quibus subjungi possunt. Histoire de la Chine & de la Guerre des Tartares contre la Chine (n) Alph. de Ovale relatio Historica de Regno Chinesis & missionibus in eo Soc. Jes. Hisp. (o) Nouveaux Memoires sur l'etat present de la Chine per le R. G. Louis le Comte (p) Tab. Sansoniana la Chine Royale (q) Marci Henningii Historia nova & vera de Amplissimo Regno China und Virginia (r) Matth. Diefferi Historia vom Königreich China und Virginia (s) G. G. Leibniz Novissima Sinica, Historiam nostri temporis illustratura (t) Et iis Subordinari, auctores, qui hocce argumentum ex aliis vel descripserunt, vel contraxerunt, vel aliquid ex iis retulerunt. Quales nomino Anonymum libri cui frons L'Antiquité des Temps, retablie & defendue contre les Juifs & le Nouveaux Chronologiste (u) P. Alex. Reflexions sur les livres de L'écriture Sainte (x) Erasmi Francisci Musländischer Kunst- und Sitten-Spiegel. (y) Joh. Jonstoni Polyhistor. sive rerum toto orbe gestarum historia (z) & alii.

- (a) *Francof. 1589. in 4. German. & Roma in fol. 1585. Italice edit. est fere primus qui de Sinensibus quædam cum orbi Europæo communicavit. (b) Amstel. 1659. in 8. & Antea Monach. in 4. prod. Hujus libri tamen, quod notandum, tantum prodiit Decas prima, reliquas decades auctor quidem promisit, ut secundam Dec. I. p. 94. 196. 320. 328. & Atlant. Sin. p. 35. 78. imo & tertiam Dec. I. præfat. p. 4. Sed nunquam, quod norim, visæ. (c) Amstel. in fol. 1649. exhib. (d) Amstel. fol. 1667. (e) ex Matthæi Ricci commentariis MSS. Lib. V. Lugdun. Bat. 1616. (f) Lugdun. 1663. in 12. Qui unicus de Re literaria Sinensium tantum scripsit, sed admodum rarus. (g) Amsterd. 1669. in fol. (h) Italice scriptus & in Lingvam Gallicam traductus à Louis Coulon. Paris 1645. in 4. Liber hic non contemnendus in duas partes dividitur, quarum prima de statu regni Chine temporalis, Pars secunda de statu regni Chine spirituali, agit, illa XXXI. hæc XIII. constat capitibus (i) inter primos nominandos juxta Hoffmann Lex. Univ. Contin. T. II. p. 358. (k) latine editus jussu Ludovici M. à Prospero Intorcetta, Christian Hererich, Franc. Rougemont. Philipp. Couplet. Patribus, Soc. Jes. Anno 1687. in fol. de qua versione Confutii*

futii Tenzel. In *Monatl. Unterr.* Anno 1692. Mens. Octobr. p. 832. erud: Mülleri refert iudicium, his verbis: Coupleti errores non consignavi quidem, subinde tamen aliqui obveniunt, quoties ipsum Confutii Textum cum versione quam edidit, confero. Tameſi verſio illa non unius hominis, imo nec unius ſeculi eſt, à Riccio ſcil. jam dudum cæpta imo amplius abſoluta. Quam ſe torqueant Jeſuitæ utcunqve colliges ex primæ Paragraphi verſione Coupletiana & Martinii H. S. p. 129. Plenius vero, ſi excerpta Chronologica cum ipſis Annalibus conferantur. Quandoquidem enim integris contextibus vertendis non ſufficiunt, hinc inde aliquid corradunt reliqua mittunt. (1) *Francos. ad Oder.* 1695 in 4. continet novem libellos quorum I. *Historia Sinenſis Abdallæ Beidavæi, Perſice.* II. Verſio ejuſdem Latina cum notis autoris. III. Monumentum Sinicum, cum Commentario novenſili. IV. Hebdomas obſervationum de Rebus Sinicis. V. Commentatio Alphanetica de Sinarum magnæqve Tartariæ Rebus, ex auctoris commentariis & MSS. aliis excerpta. VI. Nomenclator imperii Sinenſis Geographicus, cum præfatione ineundem Iſagogica. VII. Baſilicon Sinenſe, primos homines, Reges, & Imperatores Sinenſium exhibens. VIII. *Epistolæ duæ Syriacæ amæbæ.* IX. *Differtationes duæ de rebus ibidem Syriacis.* De Viri hujus in re Literaria Sinenſium & Orientalium populorum incomparabilis, MSS., Scriptis editis, & edendis. vid. Catalog. in ipſius Mülleri. *Differtat. de Ecclipsi Paſſionali*, p. 327. & Tenzel. *Monatl. Unterr.* 1697. Mens. Mart. p. 182. (m) *Bevolin.* 1696. *German. excuſ.* (n) *Lyon.* 1667. in 4. (o) *Roma* 1646. in fol. (p) *Amſterd.* 1697. in 12. Tom. II. (q) *Parif.* 1666. (r) *Francofurt.* 1599. (s) 1598. in 4. (t) hujus libri recenſionem vide ſis ap. Tenzel. *Monatl. Unterr.* Ann. 1697. Mens. April. p. 118. (u) *Cap. XIV.* p. 239. ſeqq. *Parif.* 1687. in 4. qui Chronologiam LXX. Sinenſium antiquitate firmare ſtudet. (x) *Capp. XX.* p. 115. *Tom. I.* *Amſterd.* 1689. in 8. ubi illa, quæ ex Sinenſium *Historia* adverſus Moſis *hifloriam* produci poterant, refellit. (y) *Lib. IV. Sect. 9.* ſqq. p. 1268. ſqq. (z) Vid. *Historiæ* ſemper adjecta *Contemporanea*, & inter ea *Aſiatica.*

CAP. III.

DE

NATALIBUS PHILOS. SINENSIIUM FICTIS.

CONSPECTUS.

- §. 1. *Transitum ad hoc caput & divisionem natalium exhibet.*
- §. 2. *Philosophos fictos proponit.*
- §. 3. *Examen illorum subnectit.*
- §. 4. *Antiquitatem fictam natalium annotat.*
- §. 5. *Refutationem illius producit.*

§. 1.

Absoluta Quæstione præliminari: de Existentiâ Philosophiæ Sinensium, progredimur ad ipsos Natales illius Philosophiæ paululum distinctius exhibendos. Diximus autem supra Cap. I. §. 10. nos de Philosophiæ Sinensium ortu & origine tractaturos, unde scilicet & ex quo fonte fluxerit eorum eruditio Philosophica partim secundum ipsorum Sinensium consuetam atq; falsam narrationem, partim secundum rei veritatem. Quibus non occulte indicatur Natales Philosophiæ nostræ duplicis esse generis vel quatenus falso commentorum nituntur principio & ficti sunt, vel quatenus, Veritatis fundantur fulcro atq; Veri dicuntur. De utrisque nobis sermo erit, & quidem in hoc capite de Natalibus Philosophiæ Sinensium Fictis: de Verioribus in sequenti capite agemus.

§. 2. Quamvis Sinenses in rebus consignantibus non contemnendam præ se ferant veritatem vid. sup. C. II. §. 3. not. d. Ut qui non accurato tantum, sed etiam sincero scribendi genere uti malunt: In constituendis tamen atq; figendis Philosophiæ natalibus maximopere hallucinantur. Fingunt enim, tum Philosophos primos sive Philosophicarum rerum inventores, tum antiquitatem immanam & incredibilem, in qua ficti illi Philosophi floruisse dicuntur. Inter factitios Philosophos agmen ducit, (1.) Regum, hominum, & Philosophorum apud Sinenses primus, Famosus ille Puenucus, vel ut alii scribunt Puen-cu-Ban-co, Pan-co & Panzone vid. Müller. (a) Cui, non dicam de fabula ex ovo (b) aut processu ex deserto, (c) *Matheseos inventio* affingitur. Martinus (d) in descriptione ejus his utitur verbis: Puenucus, inquit, insigni Mathematicarum rerum scientia valuit. Unde credibile est, ortam fabulam, quæ de illius ortu & ovi natalis partitione apud Sinas invaluit. Quo autem Magistro didicerit

C 3

cerit

cerit Puoncuus eam doctrinam, qua Sinæ nullam habent antiquiorem, obscurum est atque ignotum, & P. Philippus Couplet in *Prefatione ad Chronologicam Tabulam Monarchiæ Sinicæ* (e) plane meminit Puoncuum nostrum præditum fuisse magna omnium rerum scientia. (2.) Huic manus dat *Thien-hoangus* sive *Tien-hoangti* dictus, qui corpore serpentino præditus, capita habuit decem, secundum *Abdallam* (f) Primus adinvenisse dicitur *duplex illud genus literarum*, è quibus postea Cyclum suum sexagenarium Sinæ composuerunt. Literas has, *Martinius* (g) ita depingit. Sunt illæ literæ, inquit, (quæ ab Hoangtio inventæ dicuntur & ex quibus postea Cyclum sexagenarium efformarunt) duplicis generis: Primi & secundi ordinis. Primi ordinis sunt decem, quas *Can* vocant, quæ sunt, *Kia, Y, Ping, Ting, Vu, Ki, Ken, Sin, Seng, Guei*. Secundus literarum ordo continet duodecim diei horas, quas Sinæ non per numeros, sed per characteres peculiare exprimunt atque indigetant. Et quoniam à media nocte incipiunt; duodecima mediæ noctis *Esu* dicitur, secunda post mediam noctem *Cheu*, quarta *Yn*, sexta *Mao*, octava *Chin*, decima *Su*, duodecima *Li*. Secunda à meridie *Vi*, quarta *Xin*, sexta *Yeu*, octava *Sio*, decima *Hai*, appellatur. Ex his itaque literis inter se coagmentatis, efformant Cyclum suum, primam cum prima, secundam cum secunda copulando, donec iterum ad calcem redeant, quod sexaginta demum absolutis annis iterum contingit. Ex iisdem harum literarum conjugationibus non solum anni nomen & qualitatem, sed etiam totius anni & singulorum dierum arcanos è coelo in hæc inferiora motus, & rerum naturalium proprietates scire se putant. Nam ut illi ajunt, ita hi characteres sunt ordinati, ut nunquam fallente circuitu & siderum cursus, & elementorum qualitates ex ipso solum ordine pendeant. (3.) Sequitur *Tihoangus* sive *Tejencom* sive *Di-Hoangti*, itidem corpore quasi colubrino erat, & capitum decem *Abdalla* (h). *Astronomiæ* & Factorum habetur inventor cæli enim siderumque cursus perite observans, diem noctemque suis nominibus insignivit, mensẽ quoque triginta dierum spatio terminavit. Vid. *Martin.* (i) (4.) Succedit *Ginhoangus* vel *Zinhoangti* sive *Tuuncom* qui prima *Geometriæ fundamenta* jecit, terras enim ita divisit, ut novem partes constituerent. Earum una ad habitandum mortalibus contributa, reliquas octo agriculturæ atque annonæ destinavit. Ita vagos homines ac diversos in unam sedem coegit; quod Græci Phoroneo apud Argivos tribuunt. Unde *Martinius* (k) etiam colligit, quod ab hæc agrorum divisione

visione Geometriam initium reperisse, credibile sit. Præterea ei subijciunt *Politica* etiam aliquot rudera, dum aureum quasi seculum fingunt, sub hoc Imperatore contigisse, in quo Rex plus quam paterna charitate populos complexus sit, Populus autem vicissim Regem ut patrem obsequentissimi filii coluerint. Ille Regis nomen, hi subjectorum civium munus pulchre expleverint. (5.) Continuat seriem *Yeus*, *Architectonica primus cultor & doctor*, primus enim mortales, secundum *Martinium* (1) in montium antris & speluncis in hoc usque tempus habitantes, mapalia & casas è ligno ædificare docuit, ut à se ferarum injurias defenderent. Testatur id etiam *Menzelius* (m) in re medica & Chinesium excellentissimus, cum ait: (Yeu-qvo. Xi.) habentium fructus & semina familia, (Kiao) docuit (Gin) homines (Ty.) ex terra (Mo) arbores (Goey) nasci (Qvo) fructiferas (Y) ut ex iis fierent (Kiu) ædificia vel (Chu) mansiones firmæ. (6.) Chorum claudit *Sujus*, ab Abdalla nominatus *Xu-zengi*, à *Mendoza Huntzui*, *Physica*, *literarumque novus instaurator*. Mirifice quippe in Astronomia excellens, ex astrorum, ut & orbis nostri contemplatione primus è Sinica Philolophia *quinque Elementa esse* docuit, *metallum, lignum, aquam, terram, & ignem*; quam postremum esse in aëre apprehendit. Ligno quoque lignum atterendo primus ignem elicuit; ac velut alter Prometheus flammæ radices & originem aperuit. *Vid. Martinus*. (n) *Menzelius* hæc ita exprimit: (o) (Sui) ignem tractantium, (Gin) hominum (Xi.) familia, (c, uon) terebrando (Mo) ligna, (c, ui) concipere (Ho) ignem (Kiao) docuit (Gin) homines (Pem) metalla fundere & (Chu) coquere. *Literarum autem est instaurator* quoniam *Characterum & literarum loco, funium nodos ad memoriam levandam primus invenit, & in scholis modum iis rite utendi edocuit. Vid. Martinus*. (p)

- (a) *Commentar. Alpbab. voce Puen-cu p. 47.* ubi explicat vocabulum & autumat quod idem sit ac dicas *αὐταυτὸς* sive qui de se ipso est *Confer. Basilicon ipsius Sinense p. 2.3.* (b) Hanc refert *Martinus Hist. Sin. Dec. 1. L. 1. p. 13.* hunc in modum: *Hominem primum Pnoncum dicunt Sinenses è Chao tanquam ex ovo natum, hujus testam seu corticem in cælum, albumen in aërem, vitellum in terram abiisse, idque media nocte sub illud tempus, quo astra per cælum penetrantia solstitiali brumaliqve revocatione vertuntur. Primo tamen loco cælos perfectos, stabilitam deinde terram, tum spiritus*

ritus, postremo homines exstitisse. (c) *Martin. l. c. de hoc progressu ex deserto.* Alii, ait, quod Sinensium notat historia, Puoncum ajunt è deserto quodam prodiisse, natalium ignoracionem, ultro fassi, (d) *Loc. sep. cit. L. 1. p. 13. (e) p. 4.* adjecta hæc est tabula Operi Parisiensi prodeunti hoc titulo: *Confucius Sinarum Philosophus sive Scientia Sinensis.* (f) *Hist. Sin. p. 18. (g) Hist. Sin. p. 16. (h) Hist. Sin. pag. 19. (i) l. c. p. 18. (k) l. c. p. 18. (l) l. c. p. 18. (m) Kurze Chinesische Chronolog. aller Chinesischen Kaysen Cap. 1. Col. 5. p. 7. (n) Hist. Sin. p. 19. (o) Chinesische Chronologie C. 1. Column. 6. p. 7. (p) l. c. p. 19.*

§. 3. Has autem larvas fictas esse, nemo credo facile in dubium vocabit, ipsi enim Sinenses incredibilibus illis Philosophiæ natalibus fidem omnem denegant. Audiatur *Marrinius* (a) ab ipsis Sinensium Musis nutritus qui, ante *Fohium Imperatorem*, inquit, *constituta annalium suorum initia Sina ipsi pro suspectis habent, ut quæ falsa & ridicula quam plurima compleantur.* Quod in ista gente tunc temporis ferme necessum, cum nulla extarent literarum monumenta, & homines nullis legibus mitigati, ferarum potius quam hominû ritu viverent. *Ego dixerim* quia omnia ficta sunt, & plane nulli homines exstiterunt. Idem *Martinius* in paulo post sequentibus (b) addit. *Sed hætenus* (locutus erat de Philosophis supra memoratis, antecessoribus scil. Fohii) *annos & tempora non adscripsi, quippe Sinis quoque non injuria dubitata.* Et sane multa insunt ridicula Sinis annalibus, sive hominum ætatem consideres, sive annos regnantium. Et tandem subjicit: (c) *Ipsi quoque Sina de Annis antecedentibus Fohium dubitant.* Simili modo *Cupletus* (d) ipsos Sinenses hæc omnia, (tam quæ infinitam annorum numerum, tam quæ ipsos supra citatos Philosophos spectant) tanquam incredibilia & falsa æstimare, affirmat. confer. *Menzelii Chinesische Chronolog. aller Chinesischen Kaysen* (e) Præterea, si accuratius paululum illos philosophos sub examen vocamus animadvertimus, quod fabulam nihil magis redolet, quam (1.) *Primi Philosophi Puoncum* figmentum? Nam (1.) in ejus origine nulla harmonia nulla conformitas inveniuntur, dum alii eum *ex ovo natum*, alii *ex deserto prodeuntem* introducunt, quæ toto cælo differunt. Deinde eum ex Ovo natum esse dicunt, nec tamen *Ovi materiam* sive formam describunt, multo minus quæ vi, quæve potentia, inde exierit, an propria? an aliena? quæ facile innumeris rebus addere potuissent, si fundamentum in rei veritate invenissent. (2.)
Officii

Officii ratio non apte latus respondet. *Rex enim primus hic Puencu ab omnibus salutatur. Vid. Abdall. (f) & Mendoz. (g)* Cum tamen primi hominis nomen sit, secundum *Müllerum* (h) uti apud Græcos Phoronaus, apud Arabes Mahade, apud Persas Kajomard, apud Brachmannes Bramma. Quid si autem primus homo fuit, quos gubernavit? in quos summo usus est imperio? Unde mox tanta copia hominum, ut Regis directorio opus sit? (3.) Ipsa inventio huic Philosopho attributa, non satis firma: Nam primo, *in signi rerum Mathematicarum scientia* valuit, cum tamen nihil in humanis simul inceptum atque perfectum sit. Post Magistro caruit: Absque Magistro autem, quis in Mathematicis adeo imprimis statim incunabilis excellat? Denique, cur à Mathesi exordium? cur non à Physicâ? quæ primis hominibus necessarius videtur, à qua etiam ipsum Adamum exorsum esse, probabile. (4.) Alia quoque, Puencu temporis adscripta, ficta sunt: Nimirum (α) quod, deficiente calore seu ignis usu, homines spiritum fortiter duxerint, aut manus complerint, atque hac reverberatione aëris temperiem induxerint, & simili modo vicissim ventum in aestu cierint pro lubitu. Vid. *Abdall. (i)* Quæso, quid tam levis causa ad tantum effectum? (β) quod eodem Puen-cu tempore quam plures fuerint mulieres. Atque rationem appetentiæ prosequendæ & concubitus nesciverint. Quomodo scilicet mas & femina conjungerentur, atque hac gravida fieret, posteaque sætus prodiret. Vid. *Abdall. (k)* En! quomodo hæc cohæreant cum primi hominis ortu, ille primus est, & jam tanta sceminarum copia simul existit, quæ ut lapides plane describuntur. Unde hi homines? an hominum numero adscribendi? an deteriores fuere bestiis? Quid iudicii? Nugæ. Videmus II. quod Neutiqum cum ratione conveniat *Secundi Philosophi Thienhoangi* Philosophiæ adauctio atque literarum inventio. (1.) Enim, quod personam concernit, describitur, ut horrendum & tremendum monstrum, corpore scilicet serpentino & capitibus decem præditum, quis autem fasces imperii & Philosophiæ tradiderit ejusmodi monstro? quod vel sola forma atque conceptu facile omnes deterret. Dein nullus homo, nullum monstrum, unquam in rerum natura tam detestandæ formæ existit, uti hic Philosophus & Rex depingitur. (2.) Philosophiam si respicimus, supposititia est: Cum enim posteri Chronologiæ cultores cyclum introducturi, augurarentur, finem plenariæ introductionis difficile obtineri posse. Finxerunt, jam tum ab Imperatore Ildo has literas in ejusmodi usum inventas esse, rati, facilius auctoritatem illius im-

D

petra-

petrari posse. Quod probo: (1.) quia verus *literarum* & *characterum inventor Fohius* dicitur, miro Historicorum & Philosophorum consensu. Vid. *Martin.* (1) (2.) quia nullus usus Thienhoangi tempore illarum literarum fuit, sed postea demum ex iis Cyclum suum sexagenarium efformarunt Sinæ. (3.) Quia Cyclus hic ab Hoangti demum tempore inchoatur, quippe ab eo ipso inventus, atque introductus, teste *Martinio* (m) Dicimus III. Quod incredibile, *Tertium Philosophum Tihuangum* verum fuisse Philosophum, veramque illius Philosophiam: Nam (1.) *Simile monstrum* est ac antecedens, iidem enim corpore colubrino erat & capitum decem. (2.) Non credibile, eum fuisse cœli siderumque tam accuratum observantem, quia Astronomiam etiamnum, tempore accessus Jesuitarum, non admodum habuerunt excultam. (n) Quod si autem ille jam tum tanta in illa scientia fecisset incrementa, facile propagata fuisset, atque magis exculata. (3.) Quis sibi persuaserit, hunc jam tum *mensum triginta dierum spatio* terminasse? Inprimis, cum annorum & mensum *computatio*, sub Hoangti demum cœperit, vid. *Martin.* (o) Observamus IV. merum commentum esse, quod *Ginboangus Geometria & Politica sit inventor*, nam posito non concessio, quandam terræ divisionem contigisse, non tamen *quævis terræ divisio*, secundum *artem Geometricam* instituitur, aut quodvis quietum regimen Politices fundamentum est. Præterea aperte illucescit fabula ex *Aurei seculi figmento*, quod sub hujus imperio fluxisse affirmant, & plurimæ gentes finxerunt. Nam sequentis Philosophi temporibus, magna humanorum commodorum inscitia laborarunt homines, adeo, ut neque agri colendi præcepta idonea, aut ignis & silice ad parandos cibos, eliciendi usum callerent. Et hujus tamen tempore terra modico labore culta, sponte propemodum fruges tulit. V. Notamus quod *neque Architectonica inventio Yei*, cum rei veritate & Historia respondeat. Supra floruit *aureum seculum*, quilibet rerum ordo suam dignitatem obtinuit, superabundavit rerum omnium copia, jam *miseri in speluncis & antris ut bestia habitant*, & casas atque mapalia è ligno ædificare discunt. Hocine veritati consonum, quod tantis contradictionibus scætet? Poteritne illud sana ratione præditis persuaderi? non crediderim. VI. Affirmamus, *Sujum supposititium esse Physicæ auctorem*. Nam, cum hoc de quinque elementis dogma propinarent Philosophi, & facile difficultates persuadendi viderent, confictæ cuidam personæ illam inventionem tribuerunt. Quod aperte constat (1.) ex *inflatione literarum*, dum
litera-

literarum loco, junium nodos ad memoriam levandam primus invenisse, dicitur. Quis autem hominum, cui mens sana, crederet? Homines inveniri, qui, obscura cum obscurioribus commutarent, (2.) ex aperta contradictione, dum scribit Martinius (p) *Nulla tunc pecunia, nec auri aut rerum fames fuit. Nundinas tamen instituit, ut rerum permutationibus idoneas.* Hæc aliquis conciliet: Nulla rerum concupiscentia fuit, & nundinis tamen ad permutandas res usi sunt. Verum enim vero, ne diutius moremur in re confessa atque conclamata, hic pedem figimus, atque unicum illud momentum tantum adhuc subnectimus; *Fabularum narratio est refutatio.*

- (a) *Hist. Sin. L. I. p. 12.* (b) *l. jam cit. p. 20.* (c) *l. c. p. 21.* (d) *Praefat. ad Tabul. Chronol. Sinens. Imperat. p. 4.* (e) *C. I. p. 11. seq.* (f) *Hist. Sinens. C. II. Class. I. p. 16.* (g) *Hist. Sin. P. 1. p. 43.* (h) *Comment. Alfab. p. 47.* (i) *Loc. Cit. p. 17.* (k) *Loc. Cit. p. 17.* (l) *Hist. Sin. L. I. p. 22.* (m) *l. c. p. 25.* (n) *vid. Erasmi Francisci Ausländ. Kunst und Sitten-Spiegel. L. IV. Sect. 14. p. 1290.* (o) *Confer. Kircher. Sin. Illustrat. p. 108.* (p) *H. S. l. c. p. 25.* (q) *l. c. p. 19.*

S. 4. Sequitur *immana* ac *incredibilis antiquitas*, in qua ficti illi Philosophi floruisse dicuntur. Est autem illa prope innumera, ut quæ mundi originem, non seculis modo, sed *annorum myriadibus* superat. Quidam enim Sinensium asserunt, quod mundus duraverit *ter millies ducenties sexagies septies mille annorum* ante Confutium, qui vixit quingentos annos ante Christum natum, citante Martinio (a). Alii, (ut Liber Sinicus, qui de Natura inscribitur) *ex perfecta die*, quem naturalem dicimus, in horas XII. divisa, orbis universi ortum & interitum conficiant, ut *horis singulis assignentur anni decies mille octingenti*. Atque cælum hora duodecima, i. e., media nocte factum; terræ natalem in horam à media nocte, primam incidisse, hominem deinceps hora secunda conditum, ac demum Yaum nominatissimum apud Sinas Imperatorem hora sexta, sive meridiana nostrate natum. *vid. Martini. (b) Neuhoff (c)* Quæ computatio, quamvis fere innumerum efficeret annorum numerum; Nihilominus tamen *in illa aperte ficta antiquitate, Philosophos suos floruisse, affirmant Sinæ.* Quod demonstrat Abdalla *Hist. Sin. (d)* quæ ab exordio imperii Sinici (atque sic etiam Philosophiæ Sinicæ, arctissimo enim hæc combinant vinculo) ad sua tempora, ex Sinensium mente, *bis & quadragies*

fies mille, octingentos septuaginta quinque annos numerat. Adhuc clarior hæc probat Menzelius (c) qui ex libello Chinico, Siao Ul Hio five Lun dicto, refert Col. II. (Tyen) cœli (Hoam) augustissima, (Xi) familia. (Hium) Hic Imperator habuit fratres majores (Ty) & fratres minores (Xe. San.) tredecim, (Gin.) homines masculos, (Ko) singuli vixerunt, regnarunt (Ye. Van.) decem mille, (Pa) octo, (C, ien) mille (Sui) annos. Similiter Col. III. (Ti. Hoam. Xi.) Terræ augustissima familia, habuit fratres majores & minores undecim, viros masculos, singuli vixerunt & regnarunt decem mille & octo mille annos. Et Col. IV. (Gin. Hoam. Xi) Hominis augustissima familia, habuit fratres majores & minores, novem homines viros, singuli, vixerunt & regnarunt quater decem mille & quinque mille sex centos annos. Qui anni si computantur dant 842400. annos. Heu quantus annorum cumulus! Quanta commentorum plaustra.

(a) p. 4. cit. Muller. Com. Alph. p. 6. (b) l. c. p. 13. sq. (c) In der allgemeinen Beschreib. des Reichs Sina. C. XVIII p. 363. (d) In Introit. p. 2. (e) In der kurzen Chinesischen Chronolog aller Chinesischen Kaysers C. I. p. 4. Confer. Muller. Commentar. Alphab. p. 5.

S. 5. Quid autem dicemus ad tantam antiquitatem? Nihil, nisi unicum illud, fictam esse. Quod probo argumentis tum supra citatis, tum illato, omni exceptione majori, ex Scripturis petito, ut pote quæ plane nihil de indefinita illa annorum duratione & mundi antiquitate refert. Quæ tamen primum Chronologiae principium est, juxta sortem sui auctoris, fallere & falli nescium. vid. Petr. Bång. Chronolog. sacra (b) Est enim divinæ auctoritatis, tum ratione rerum salutem æternam concernentium, tum ratione omnium aliarum rerum in codice sacro canonico contentarum vid. Theolog. (b) Quicquid igitur Scriptura S. de terminis Chronologicis, & de intervallis inter eos majoribus, vel minoribus, dicit; id, seu ex ore divino profectum, & ejus calamo consignatum, veritatis est infallibilis; imo, & inculpabilis; Atqui à mundo Condito usque ad Christum, tanquam terminum Chronologicum maxime considerabilem, fere Quater mille annos esse, Scriptura S. dicit. E. Veritatis est infallibilis. Et e contrario: Omnis antiquitas alia, imprimis tam immensa atque indefinita Chinesium, falsitatis est maxime fallibilis. Quapropter non male fateor judicat P. Alix, in libro sub titulo: *Reflexions sur les Livres L' Ecriture Sainte*, (c) quando Concludit Capite XX. **Responsionum**
ad

ad Objectiones, quæ possunt trahi ex historia Sinensium, contra illa, quæ Mosis dixit de creatione Mundi, inter alia his verbis: *Les plus grands soins de ces Auteurs ont été de faire connoître L'antiquité de leur Nation, & de la relever par des récits Fabuleux. i. e.* Maxima cura illorum auctorum, (Scilicet Chinesium, Antiquitatem tantam affectantium) fuit, in divulganda Antiquitate Nationis suæ, & in confirmanda illa per Fabulosas narrationes. Verbo autem ut rem omnem decidamus, utemur accuratissima distinctione *Mulleri*, (d) existimantis, stupendum hunc annorum numerum, non tam *Chronologicè*, quam *Rhetoricè* intelligendum esse. Confeverunt enim Sinæ, nihil non miriadibus deputare, quod magnifice extollere amant. Sic v. g. (1.) Regulis bene precantes myriadem annorum apprecantur. Regibus myriadum myriadas, *vid. ibid. cit. Lex. Mandar. in Van.* (2.) Murum illum famosum Van-li-Ching-vocant, i. e. Murum decies mille stadiorum, cum vix in 5000. stadia. Sinica extendatur *vid. Muller.* (e) (3) in diplomate Sinico-Tartarico, quod Xunchi Legatis Batavis dabat, & à *Neuhofio* *Chinesisch. Gesandsch.* (f) refertur, Sinarum & Batavorum terræ decies mille milliaribus distare, dicuntur. (4.) DEum Vanve myriadem rerum, id est omnia, creasse, scribunt. Confer. in hoc refutationis argumento *Isaac. Jaquelot. Dissertat. de Existencia DEI* (g) & *Salom. à Til. Set Vorhoff der Seidenen vor allen Engeldvigen* (h).

(a) *Cap. VII. p. 65. seqq. In pr. §. 10. seqq.* (b) *apud Qvensted. System. Theol. P. I. C. IV. Quest. VII. p. 86. & Qv. VIII. 89. seqq. citati.* (c) *Part. I. C. XX. p. 127.* (d) *Comment. Alfab. p. 6. seq.* (e) *Chatay. p. 32.* (f) *p. 202.* (g) qui Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinensium, aliorumque nefandas, antiquitates mera figmenta esse, ad oculum demonstravit, & refutavit: *annotantibus Act. Erud. Anno. 1697. Mens. April. p. 171. seqq.* (h) qui omnem Sinensium Chronologiam, simul ac Confucii transcendit tempora, incertam & fabulosam, statuit. Quia ipsius Confucii libro, antiquior apud Sinenses nullus extet, combustis omnibus à Xi Hoam Ti historicis monumentis. Et quia omnis antiqua scribendi ratio à Fohio inventa, ænigmatica fuerit, cujus interpretandi ratio, cum jam olim deperdita fuerit, nunquam ita, ut eruditis satisfaceret, restitui potuerit: *Vid. Act. Lips. An. 1695. M. Sept. p. 397.*

NATALIBUS PHILOSOPHIÆ SINENSIIUM VERIORIBUS.

CONSPECTUS.

- §. 1. *Difficultatem Veriorum Philosophiæ Sinensium Natalium producit.*
 §. 2. *Natalium veriorum distributionem indicat.*
 §. 3. *Natales Antiquiores evoluit.*
 §. 4. *Examen illorum.*
 §. 5. *Antiquitatem natalium antiquiorum ponderat.*
 §. 6. *Recentiores Philosophiæ natales insinuat.*
 §. 7. *Disputationem denique concludit.*

§. 1.

Philosophiæ in genere consideratæ Natales sive originem determinare, haud omni caret difficultate, ob maximum, quod Philosophi alunt diffidium. (a) Majori adhuc premitur difficultate: *Natalium & quidem veriorum Philosophiæ Sinensium* Constitutio, eorum enim remotissima absentia, non satis obvia & haud vulgaris antiquitas, atque tenebris obscurata veritas, argumenta sunt, non uno icu exantlanda. Probabunt illud ipsi *Natales* Philosophiæ Sinensium & quidem *Veriores*, de quibus h. l. acturi sumus. Intelligimus autem per *Natales Veros*, non illos, qui absolute puro, & nullis figmentis stipato nomine veniunt, sed illos, qui ratione rei veritatis lucem ostendunt, ratione autem circumstantiarum etiam commenta commixta habent. Omnis enim lux sanæ apud Gentiles antiquitatis est obscurata commentorum tenebris, ut eam vix atque ne vix quidem interdum animadverteris.

(a) *vid. Polyd. Virgilius de rerum Invent. L. I. C. XVI. p. 58. seqq. conf. Marshami Canon Chronic. Secul. IX. p. 149. Matthæi Lunens. Libell. de Rerum inventor. C. IV. p. 8. seqq. Stanlai Historia Philosoph. Oriental. L. I. Proæm. & M. Phre. Gott Dan. Colberg. Patroni, Fautoris atque Amici nostri ad tumbam venerandi, jam èν ἀγίοις Vol. disp. inscriptum. Sapientia Veterum Ebræorum per Universum terrarum orbem dispersa Disp. II. §. 1. p. 23.*

§. 2. *Quod si autem natales nostros Philosophiæ Sinensium accuratio-*

ratoribus paululum intuemur oculis, videmus, illos duplicis esse generis, vel antiquiores vel recentiores. Antiquiores sunt, qui ab antiquissimo tempore, à gentis aut imperii origine petuntur, videnturque aliquid veri præ se ferre, vel ad minimum ex Sinarum opinione veri esse atque indubitati, (a) atque hi, exordium sumunt à *Fobio*, celebratissimo apud Sinas Rege & Philosopho. Recentiores sunt, qui tempore non ad modum antiquo includuntur & extra dubitationem veri ab omnibus facile admittuntur, exordiunturque à Confutio Sinenfium Platone & Aristotele.

(a) vid. Cap. Antec. §. 3. quibus adde quæ *Martinus Hist. Sin. L. 1. p. 20. refert*. Quod illa, scil. quæ à *Fobio* incipiunt, à Sinis pro indubitatis habeantur. Unde etiam ipse p. 21. illa, quæ à *Fobio* exordiantur, certiorum titulo dignatur.

§. 3. Diximus §. Anteced. Antiquiores Natales esse, qui ab ipso *Fobio* sumunt initium. Est itaque Philosophorum omnium primus I. *Fobi*, qui è matre absque Patre natus *Literarum, Ethicæ, Politicæ, Astrologiæ, Musicæ & Arithmeticæ est inventor*. Characteres enim Sinicos reperit, quos loco nodorum adhibuit. Magnis itidem virtutibus eluxit. In Regno leges & statuta excogitavit, quibus, ut & mœnibus, primus mortales munivit, nominaque familiis facilius distingvendis imposuit, Et quoniam mares inter ac foeminas nullum erat apud Sinas in moribus ac veste discrimen, nulla connubia lege firmata; Sed belluarum more temere & vaga libidine jungebantur. Utrinque discrimen iniecit. Nam & viros à foeminis cultu distinxit & conjugia instituit. *Astrologiæ* etiam cumprimis peritus, cœlestium juxta humanarumque rerum curam exacte habuit. Nam in cœlo siderum motus intuitus, magnos eorum orbis, aliasque è Mathematicos norma figuras primus in tabulis descripsit. Ad demulcendos dein hominum animos atque affectus, ut & honestam oblectationem, *musicum instrumentum* adinvenit, *triginta sex chordis* instructum; Et ad utilitatem, *Arithmeticam, contractus & rationaria* vid. *Martin*. (a) *Neuhoff* (b) *Abdalla* (c) *Menzel*. (d) *Müllerus* (e). Hunc insequitur II. Philosophus *Xinnung*. *Medicina & œconomica* sive *Agricultura* instaurator: Herbarum quippe vires, in expellendis morbis expertus, non in alieno, ut multi solent, sed in suomet corpore periculum fecit, quid in stomacho, ad concoquendos cibos, aliisque in membris aut morbis efficerent; cui malo creando vel extingvendo sufficerent. Et hoc tanta solertia successuque fecit, ut eum vulgo oculis plus quam lynceis crederent omnia hominum corpo-

corporumq; arcana perpicere. Fama est, eum unius diei spatio, ad sexaginta venenatarum herbarum genera, cum totidem earum antidotis, distinxisse; quem idcirco *Medicorum principem & auctorem* nominant. Præterea ducere aratrum, & sulcos per colles amœnos instituit vid. *Martin.* (f) *Menzel.* (g) *Abdall.* (h) *Mendoza* (i) qui Astrologiam judicariam ipsi etiam adjudicat. III. Philosophus *Hoangti*, est *Chronologiae sive Cycli sexagenarii Sinicorum annorum* ope *Tanai*, item *Astronomiae*, *Tabularum Arithmeticarum*, *Muscorum instrumentorum*, *Armorum &c.* primus cultor vid. *Menzel.* (k) *Martin.* (l) Succedit IV. *Philosophus Chuenbio Imperator*, ordine V. secundum *Martin.* *Kalendariorum & Ephemeridum auctor & introduktor*. Ab eo enim *Kalendarium* toto regno publicatum receptumque. Scripsit etiam *ephemerides* quinque *Planetarum*, quos, dum imperabat, omnes in cœlo conjunctos vidit, eo die, quo est observata *Solis & Lunæ conjunctio*, vid. *Martin.* (m) *Menzel.* (n) V. Sequitur *Taus Imperator*. VII. cujus egregia prudentia, pietas, scientia, virtutesque plurimæ, *fundamentum ac norma fuere Sinicæ Philosophiæ*, vid. *Martin.* (o) VI. Itaque addo *Xunum*, qui cum antecedenti, propter virtutum culturam, *Philosophiæ Sinicæ præcipuus fundator* constituit. Et ipse sane insignis Philosophus fuit: Nam *ex gemmis septem, planetarum sphaeram* fabrefecit, è cujusque gemmæ ingenio planetis singulis aptam attribuens, aliamque terræ loco in medio statuit. Vid. *Martin.* (p)

- (a) *Hist. Sin. L. I. p. 22. seqq.* (b) *In der allgemeinen Beschreibung des Reichs Sina. C. II. pag. 223. seqq., & C. XVIII. p. 365.* (c) *Hist. Sin. Cap. II. Regum Class. II. p. 14. 21.* (d) *Burze Chinesische Chronolog. aller Chinesischen Kaysers. C. II. Col. I. p. 15.* (e) *Comment. Alphab. p. 19. & Basilic. Sin. p. 5.* (f) *l. c. p. 24. & præfat. Atlant. Sin. p. 7. Chines. Chronolog. C. II. Col. 2. p. 16.* (h) *l. c. Class. III. p. 23.* (i) *Descript. Sin. L. I. p. 45.* (k) *l. c. Cap. III. p. 21.* (l) *l. d. p. 30.* (m) *l. c. p. 33.* (n) *l. c. C. III. p. 22.* (o) *l. c. p. 37.* (p) *l. c. p. 44.* Confer. *Neuhoffs Allgemeine Beschreibung des Reichs Sina. C. XVIII. p. 366. seqq.* ubi *Martinii* verba vel transfert & exscribit, vel confirmat.

§. 4. Atque ita Natales Philosophiæ Sinensium Antiquiores vidimus, jam examen eorundem paucis subnectendum. Ubi *Cl. Georg. Hornii* (a) Sententia de dictis hominibus, mihi in medium proferenda videtur; *Qui autumat; non improbabile esse, hanc historiam ea narrare,*
quæ

que ante Noëticam eluvium contigere. Quoniam I. *Fobium* esse *Mosis Adamum*, Sinensium traditiones haud obscure innuant. Nam (1.) *Fobium* è *Matre sine Patre* natum fuisse, sed *Adamum e matre terra, absque Patre*, à DEO immediate creatum esse. (2.) Tempora quoque non omnino refragari. *Fobii* enim *etatem* in annum *Adami* fere 15. incidere. Quia II. *Xinnungus* & *Cain* in multis convenient. (1.) Non omnino enim abluere nominis affinitatem *Cain* & *Xin*. (2.) *Cainum agricolam* fuisse: Idem disertim de suo *Xinnungo* Sinenses profiteri, quod scilicet *Aratrum* & alia rustica instrumenta primum repperit; Unde & *Xinnungi* nomen ipsi impositum, quod *spiritualem agricolam* significet. (3.) Utrosque *morte violenta* mortuos esse. *Xinnungum* enim *præliocæsum*, occubuisse. Sed de *Caino* antiquam opinionem circumferri, à *Lamecho* nepote interfectum. Quia III. aliqua *Convenientia inter successores utriusque Xinnungi & Caini* reperiatur. Nam (1.) *Caini* filium nuncupati *Hanoch* & *Xinnungi* successorem *Hoangti*, inter *Hanoch* & *Hoangti* autem discrimen adeo exiguum esse, ut in animis non adeo difficile suspicionem grandem movere possit, antiquissimorum illorum ante diluvium Regum nomina, *Xinnungi* & *Hoangti* ex *Caino* & *Hanocho* esse expressa. (2.) *Cainum* pondera & mensuras primum repperisse juxta *Josephum*: Idem vero suo *Hoangtio* *Sinas* adscribere. Ubi nihil repugnet, quod *Patris* inventum filio adscribatur, potuisse enim *Patrem* cæpisse, *Filium* perfecisse, atque ita utrisque ejusdem rei inventionem tribui. (3.) *Hoangtium non mortuum esse*, sed vivum in montes abreptum, & immortalitate donatum: *Hanochum* vero, quamvis non ex *Caini* sed *Sethi* posteritate, ex hac vita vere ablatum & immortalitate donatum esse. Ubi illud, quod de *Hannocho Sethi* verum erat, hoc *Sina suo Hanocho Caino* adscripsisse. Quam convenientiam etiam nolentem, putat cogere, ut fateatur, antiquissima illa *Sinensium Annalium*, ex *Mose* utcunque esse expressa. (4.) In numero personarum exactam extare convenientiam: Sicuti enim à *Caino*, ita etiam à *Fobio* ad diluvium usque *Septem* tantum regnasse, tradi. IV. Quia haud obscuris indiciis deprehendatur, *Sinensium Imperatorem Yaum* esse *Noachum*. Nam (1.) omnes passim libros *Sinicos Yaum*, ut sanctissimum piissimumque deprecare, quod elogium tamen nulli potius, quam *Noacho*, conveniat. (2.) Sub *Yao*, diluvium in *Sina* fuisse: idem autem *Noachi* tempore orbem inundasse. (3.) *Yaum* atque *Italorum Jamum*, qui multis *Noach* est, ob nominum affinitatem convenire. Atque adeo

E

adeo

adeo omnino convenientiæ nasci probabilitatem. Quæ sententia probabilitate, fateor, pugnat non minima, inprimis si adductis argumentis addas sequentia, & quidem. In harmonia Fohii & Adami (l.) Fohium *Matrimonium & nuptias primum instituisse* teste *Martinio* (b) & *Abdalla*: (c) Illius autem primum cultum ad *Adamum* pertinere, nemo facile in dubium vocabit, *Scripturæ S.* tantillum gnarus. (d) (2.) *Fohium magnis virtutibus*, & *Astrologiæ* cum primis peritum, cœlestium, juxta humanarumque rerum curam exacte habuisse. vid. *Martinus* (e) *Abdalla* (f) Quod ad neminem potius, quam ad *Adamum* pertinere, maxime credibile, ut qui, quamvis ex statu integritatis lapsus, vitam tamen procul dubio egit maxime virtuosam, rerumque cœlestium & humanarum curam habuit exactam. Nunquam enim non rudera imaginis divinæ excoluit (3.) *Fohium divinandi scientia* usum esse juxta *Abdallam* (g) *Adamus* verò *veram divinandi scientiam calluit*, ibique *αεσ' ευαγγελιον* Posteris tradidit. (4.) *Fohium* in regno *leges & statuta* excogitasse, (quibus ut & moenibus, primus mortales muniverit, (nominaque familiis distinguendis imposuisse (h) Ad quem hæc potius, quam ad *Adamum* spectant? Hic enim Filios suos legibus divinis, veroque DEi cultu procul dubio cinxit, Nominaque illis indidit quod ex sacrificiis & denominatione *Abelis & Caini* inprimis patet. (5.) *Fohii Sororem Ni-va-xi*, vel *Niu-kua xi* nomine, fuisse à spiritu oriundam, & Reginam post ipsum Fohium constitutam esse. vid. *Menzelius* (i) & *Abdalla* (k) *Adamum* autem *Conjugem* habuisse *חַוָּה Chavvam*, secundum *Junium & Tremellium* (l) vel *Hevam* nominatum, quæ, à DEo Spiritu omnipotenti creata sit, & mater omnium hominum, sive *regina* extiterit, *Historia sacra* docet. Quod si igitur conjecturis illis aliquid tribuendum, ita statuendum judico: *Sinas*, *coloniã esse pervetustam*, quæ *doctrinã Noachicã prius imbutã*, *extremam hanc Asiæ partem*, *facta Gentium dispersione occupaverit* (m) & *posteris Historiam ante diluvianam per traditionem propinaverit*, *suamque inventionem illius auctoritate miscuerit*, atque *defenderit*: *Qui* autem, qualesque illi *primi Imperii Sinici cultores* fuerint haud liquere. *Scriptores* in eis constituendis maximopere differunt, *Auctor Admirand. Nazur. in Sin. & Europã* (n) *Kenaanum Sinas* condidisse statuit, quos *Ebræi* exinde *Kenanitas* appellant, Anno Mundi DCCC. XXV. ætat. vero D. & vel ibidem imperasse, vel *coloniãrum curam gessisse*. Sed minus hæc tum *veritate coherere autumò*, quia *foundationem Imperii Sinici* ante

ante ponit Diluvio Noe: *Arhanafius Kircherus* (o) aliam fovet sententiam, & *Sinas, Chami colonos*, nominat. Cum enim ille, primus ex Ægypto in Persiam, & hinc in Bactriam colonias suas transtulerit, Bactriana autem regio, Magorum Regno contermina sit, facile ex eadem in Sinam quoque ultimam habitati terrarum Orbis Nationem, colonias transferri potuisse autumat, (p) *Hofmann.* (q) Ethnarcham post diluvium gentis Sinicæ *Getber* Semi filium, nuncupat. *Philip. de Waldensels* (r) *Magogum*, primum Sinæ incolam esse autumat. *Georg. Hornius* (s) *Sinas à Scythis & Egyptiis* derivat. Aliis alia placet opinio, mihi *ἐπιχειρ* magis, quam in re dubia falsi quid asserere. Sufficere, ratus, quosdam ex primis Noachi Posteris fuisse, qui Historiam antediluvianam Philosophææ miscuerint, atque per traditionem posterorum animis instillarint.

(a) *In Arca Noa, sive Historia Imperatorum & Regnorum compreh. p. 12. sqq.* (b) *Hist. Sin. L. I. p. 23.* (c) *Hist. Sin. C. II. Class. II. p. 21.* (d) *vid. Cap. I. II. & IV. 1. Genes.* (e) *l. c. p. 22.* (f) *l. c. p. 21.* (g) *l. c. p. 21.* (h) *vid. Martin. Hist. Sin. L. I. p. 22.* (i) *kurze Chinesische Chronolog. C. II. Col. 2. p. 16.* (k) *Hist. Sin. C. II. Class. III. p. 23.* (l) *Conf. Spizel. de Re Literaria Sinens. Sect. II. p. 20. eandem probat sententiam Tenzelius In Monatl. Unterr. Mens. Mart. An. 1689. p. 339. bis verbis. Die Chineser haben aus der gemeinen Tradition diese Sachen behalten / und nach der Zerstreung vom Babylonischen Thurmbau mit sich in Ihr Land genommen / weil aber die Tradition wie ein Schnee-Ballen / und je weiter sie gewelket wird / je gröffer und unförmlicher sie wird / also ist es auch in diesem Stück ihren Nachkommen gegangen / daß sie heute zu Tage nur ein Schatten von der Wahrheit übrig haben.* (m) *Cap. XLVII. p. 1400. sqq.* (n) *Oed. Egypt. Tom. III. Gymnas. Hierogl. C. II. p. 20.* (o) quam sententiam à veritate neutiquam abhorrere, putat eruditissimus *Spizelius l. mox cit. modo* rationibus atque fundamentis solidioribus, adstructa atque stabilita fuisset. (p) *Lex. Univers. Contin. Tom. II. p. 357. voce Sina.* (q) *Antiquitat. Select. L. VI. CII. p. 160.* (r) *Lib. de Origin. Americ. L. IV. C. IV. p. 233.*

§. 5. Denique non prætermittenda videtur *Antiquitas, Antiquiorum* hujus Philosophiæ natalium. De hac autem si consulimus Scriptores, dissidium pariter invenimus longe maximum. *Martinus* (a) enim à primo Philosopho *Fohio* numerat 2952. A. N. C. Annos. *Alvarez Sernedo* (b)

annos tantum à Fohio ad Natum Christum 2060. *Autor Admir. Nat. in Sin. & Eur.* (c) Fohium ante vulgarem Christi epocham 2847. floruisse scribit. *D. Menzelius*, diuturniorem adhuc annorum numerum producit, ex Sinensium doctrina, parvorum filiorum (d) dum Cyclum 1. A. C. N. 2697. initium cœpisse, & à Fohio usque ad hunc Cyclum 1903. Annos effluxisse refert. Qui si computantur anni, faciunt 4600. A. *Completus* in tabula prima Chronologica numerat usque ad N. C. 2697. Annos (e) In tanto igitur variationis genere, nihil certi ex Sinensium opinione asseri posse, existimamus. Sed potius Verbis *eruditissimi Spizelii* (f) concludimus: Sufficit, *Sinenses literis jam tum exultos fuisse, cum* (dicente *Martinio L. 1. p. 22. Hist. Sin.*) *Europæ nomen nondum extaret.* Nam ex *Avarez Semedo*, aliisque patet, Sinarum literas, ejusdem cum Gente, esse antiquitatis. In quo etiam consentiunt omnes ipsorum traditiones, & literas & sapientiam scilicet cum Gente sua cœpisse.

(a) *Hist. Sin. L. 1. p. 21.* (b) *Histoire de la Chine P. I. C. XII. p. m. 151.* (c) *C. XLVII. p. 1401.* (d) *Kurze Chinesisch. Chronolog. Cap. II. p. 18. coll. cum C. III. p. 21.* (e) *Tab. Chronolog. Subnexa Confutio* (f) *vid. Lib. de Reliterar. Sinens. Sect. III. p. 21.*

§. 6. Hactenus *Natales Philosophiæ Sinensium Antiquiores*, tum ratione Philosophorum antiquorum, tum ratione temporis, in quo floruisse dicuntur, spectatos, consideravimus. Reliquum est, ut de promissis *Natalibus* ejusdem *recentioribus*, quædam subnectamus. Exordium sumunt illi ipsi, ut supra innuimus, à *Confutio*. Qui, Sinarum Plato, sive magnus ille Sinarum Philosophus, nunquam à suis satis laudatus instaurator & explicator literarum à *Martinio* (a) salutatus, quingentis quinquaginta uno annis. Ante Salvatoris nostri Jesu Christi incarnationem, docente *Müllero* (b) primam lucem vidit in Regno LU, ibi, ubi hodie Provincia Xantung locum habet, annisque amplius LXX. ita vixit, ut non exemplo minus, quam Doctrina, virtutis studium injunxerit, secundum *Spizelium*. (c) Ex quo apud Sinas etiam consecutus est, ut mortales omnes, quotquot ubique terrarum virtute præstiterunt, vitæ integritate superasse credatur. *Conf. Francisci Zusflând. Kunst- und Sitten-Spiegel.* (d) Quæ laus quidem, nimium quantum extenditur, ipsum tamen, si dicta & facta ejusdem attendimus, vetustioribus Philosophis facile palmam dubiam reddidisse animadvertimus. Nam ratione quidem ante Confutium usi sunt Sinenses, eandem vero non adeo excellenter excoluerunt, quam suo tempore

pore hic *Confutius*, qui reliquos luminis naturalis igniculos magis excitavit, & in studio Philosophico ad interiora ista principia examinavit. Quod sufficientissime probat ipsius *Doctrina*, quam cœlo descendisse asserbat (e) V. Libris comprehensa, & à Coupleto cœterisque Societatis Jesu Sociis (f) cum orbe erudito communicata. Cujus compendium absolutissimum exhibet *Martinius* (g) his verbis: *Magna, sive magnorum virorum doctrina in eo posita est, ut, cum quovis seipsum perfecerit, alios quovis perficiat, sicut omnes unum, hoc est, summum bonum consequantur, sed sui ipsius perfectio in eo consistit, ut quisque lumen naturale in se accendat clarumque reddat, ita, ut à Lege naturæ præceptisve à natura insitis nunquam exeret. Quod quia sine vera rerum cognitione scientiaque fieri non potest; inde Philosophiæ danda est opera, per quam, quæ agenda, quæque fugienda sunt, scientiam habeamus. Hac scientia consilia nostra dirigimus; hac voluntatem, hoc est, utriusque actiones perficimus, ut nihil sentiamus, nihil velimus, nisi quod est rationi consentaneum. Exinde corporis etiam existit sensuumque perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex virtute constitutio; quæ nunquam proventura est, si non è bona mente, velut è fecunda terra efflorescit. Adhuc breviorum illius summam receniet *Müllerus*. (h) Summa ejus (*Doctrinæ Confutii*) inquit, King tien ngai gin Keki. Cœlo obsequendum & proximum adamandum esse. Ex quibus elucescit, ad Veriorem Philosophiæ Sinicæ cultum requiri, quod recta ratio rite instruat, usurpetur & excolatur: Nam in eo fundamentum omnis *Doctrinæ* posuit *Confutius*. Hinc Compositionem Corporis & Animi toties inculcat, cum exigit primo ratione compositionis corporis, ut quis rectificet suum animum, perdomando scilicet, recteque moderando ejus affectiones & appetitus. Deinde ratione Animi (1.) ut quis verificet, sive veram, sinceram ac ab omni fallacia fictioneque immunem reddat suam intentionem sive voluntatem. (2.) ut quis perficiat intellectum & ad summum quem possumus apicem perducatur, penetrando & exhauriendo res omnes, sive rerum rationes vid. *Coupleti Confutius, sive scientia Sin.* (i) Quæ sapius laudatus *Spizelius* (k) pluribus demonstrat, cum supra citatum Philosophiæ Sinicæ Compedium articulate atque erudite deducit, resolvendo illud in propriæ & alienæ perfectionis Principia, Media, Normam, Emergentem denique utilitatem. Principia, nominat, prima illa perfectionis rudimenta à splendore illo congenito, quem strenua præceptorum Naturæ cœvorum observatio promo-*

vet, atque ab eodem, inchoata perficit, deducta. *Media* nuncupat, *rerum cognitionem*, utpote Philosophiæ Theoreticæ semina, & *actionum pariter ac voluntatis perfectionem*, utpote Doctrinæ Moralis rudimenta. *Normam* seu infallibilem utriusque Regulam vocat *Rationem*, ut nihil se: sentiat, nihil velit Philosophus, nisi quod est Rationi consentaneum. *Emergentem* denique *utilitatem*, sive accedentia commoda, *Corporis sensuumque perfectione* dicit indigitari. Ex qua Generali Philosophiæ delineatione & enucleatione facile colligitur, specialiorum etiam Philosophiæ Partium doctrinam Confutium calluisse. Et sane, si evolvimus *Martinium* (l) reperimus Confutium. Tria ponere ceteris magis præcipua, Cælum, hominem, terram (*ut supra etiam diximus*) hinc triplicem quoque scientiam facere, cœlestem, humanam, terrestrem. In cœlo terraque noscenda scientiam naturalem (sive Physicam) occupari. In homine autem instituendo totam esse Moralem scientiam (sive Ethicam). Merito igitur à Confutio nostro veros Natales Philosophiæ Sinensium ordimur, ut qui studiorum & totius Eruditionis Sinicæ princeps atque Parens est. *Qualem* etiam ipsi Sinenses omni tempore assimarunt. Nam ipso adhuc vivo ter mille numeravit Discipulos, ex quibus *quingenti*, qui in variis regnis magistratus gesserunt. *Septuaginta duo*, quorum nomina, cognomina, patria & alia memoriæ prodita sunt. *Duodecim* vero lectissimi Philosophi, id est omnibus doctrinis instructissimi erant. Vid. *Müllerus* (m) *Martinus* (n). Eo mortuo, Tanti non tantum fecerunt scripta ejus, ut omnes doctrinas in iis contentas sine ulla contradictione amplexi sint (o) & magna curâ sollicitudineque Doctrinam integram sinceramque conservare, sicut nos sacrorum Bibliorum textum, contenderint: (p) Sed etiam postea proprium ipsi Literatorum Fanum, & quidem per Imperii Leges in qualibet urbe, eo in loco, quo Literarius Ludus constructus, est consecrarunt. Vid. *Alvarez Semedo* (q) conf. *Præf. Martin. ad Art. Sin.* (r) & *Arnold. in den auferles. Zugab des Asiat. Afric. Seiden-Thums des Abrah. Rogers.* (s)

- (a) *Hist. Sin. L. IV. p. 137.* (b) *Comment. Alphab. voc. Confutius p. 12.*
 (c) *de re Literar. Sinens. Sect. VII. p. 115.* (d) *L. IV. C. IX. p. 1269.*
 (e) *vid. Muller. Comment. Alphab. l. c.* (f) *Jussu Ludov. M. Parisiis Anno 1688. Conf. Spizelium de re literar. Sinens. Sect. VII. p. 121.* (g)
Hist. Sin. L. IV. p. 147. (h) *Comm. Alphab. p. 12.* (i) *L. I. f. 1. p. 2. §. 1.*
 (k) *De Re Liter. Sinens. Sect. VIII, p. 126. seqq.* (l) *Hist. Sin. L. IV.*

p. 148. (m) l. d. (n) l. c. p. 140. (o) vid. *Farrici Tom. II. Theſ. Rer. Indic. Cap. XVII. citat. à Spizel. l. c. p. 116.* (p) vid. *Francisc. Zuſſl. Kunſt und Sitten-Spieg. L. IV. C. IX. p. 1270.* (q) *Hiſt. de la Chine P. I. C. X. p. 69.* (r) p. 13. (s) *C. VI. p. 577. p. 721. ſeqq.*

§. 7. Atque ita *Natalium Philoſophiæ Sinicæ* recentiorum conſiderationem paucis abſolvimus, poſſemus etiam alia quædam, quæ Conſu-
tium tempora ſpectant, ſubjicere. Verum cum hæc ad Natales non tam accu-
rate ſpectent, illa ad aliam potius meditationem remittimus. Atque Diſ-
ſertationi noſtræ colophonem imponimus. A Te autem, L. B. ea, quæ de-
cet humanitate, contendo, conatus noſtros benigno judicio tuo digneris,
& ſi forte quædam acu minus tetigerimus, illud remotiorum conditio-
ni adſcribas. Remotiora enim quo rariora, eo difficiliora deprehendun-
tur. Tibi denique Sanctiſſimum Numen & Lumen, pro largiter

conceſſis Spiritus S. donis,

SIT LAUS HONOR ET GLORIA.

COROLLARIA.

- I.
Datur Numen quoddam, cujus notitia omnium cordibus inſcripta.
- II.
Sinæ, æque ut Braſilienſes, Caribes & Peruani, nullum habent no-
men, quo Numen ſummum notant.
- III.
Sinæ habent nomina, quibus Numen ſummum ſignificant.
- IV.
Hoc Numen recte dicitur *ἄνω*, ſeu Totum.
- V.
Idem Numen citra abſurditatem non poteſt dici *ἄνω* ſive Totum.
- VI.
Illud Numen eſt infinitum ſine terminis.
- VII.
Idem Numen non niſi veriſſime unum eſſe, ipſum naturæ lumen
monſtrat.
- VIII.
Huic Numini & creatura rationalis, abſque præcone Scriptura Sacra,
tribuat neceſſe eſt Omnipreſentiam quoad ſubſtantiam.
- IX. Nu-

IX.

Numen hoc omniscium quoque est sine adminiculo organorum sensitivorum.

X.

Et ex lumine naturæ Providentia ejusdem innotescit, quæ versatur circa res quasvis creatas, easque vel minutissimas, citra diminutionem splendidissimæ ipsius Majestatis.

XI.

Quid? quod & naturæ dictamen dicitur, Independentiam hujus Numinis ab alia quadam causa, adeo, ut à se ipso sit negative.

XII.

Hoc Numen itidem est omnipotens, adeo, ut, quæcunque vult, in actum deducere valeat.

XIII.

Quædam hoc Numen non potest, quia est omnipotens, uti admodum acutè loqui amat Augustinus Lib. V. de Civ. DEI.

XIV.

Hinc neque mundus creari potuit ab æterno.

XV.

Ab omnibus terræ incolis Numen illud coli debere ratio monstrat. Sine ut Anonymum venerantur.

XVI.

Cognitio Naturalis de DEO, rectè dicitur Theologia.

XVII.


Cognitio Naturalis non potest dici Theologia.


XVIII.

Nullus Paganorum, per naturalis legis observantiam, citra notitiam Promissionum Evangelicorum, beatorum numero accessit. Quicquid etiam sentiat Martinus & Trigautius de Sinis; Vel Maldonatus in Matth. XI. 27. Gentiles, ratus, servata lege naturæ potuisse omnium confessione esse salvos.

XX.

Non datur anima mundi, hincque ridenda crassa illa Democriti sententia, statuens: Animam mundi DEI animam, mundumque ipsum corpus DEI esse.





the scale towards document

qui relictos luminis naturalis igniculos magis excitato philosophico ad interiora ista principia examinavit. Quod at ipsius *Doctrina*, quam caelo descendisse assererat (e) nra, & à Coupleto coeterisque Societatis Jesu Sociis (f) communicata. Cujus compendium absolutissimum (g) his verbis; *Magna, sive magnorum virorum doctrina, ut cum quousq; seipsum perfecit, alios quosq; perficiat, hoc est, summum bonum consequantur, sed sui ipsius sit, ut quisq; lumen naturale in se accendat clarumque lege naturæ præceptisve à natura insitis nunquam exerceat vera rerum cognitione scientiaque fieri non potest; magna est opera, per quam, quæ agenda, quæq; fugienda beamus. Hac scientia consilia nostra dirigimus; hac præceptis, utriusque actiones perficimus, ut nihil sentiamus, quod est rationi consentaneum. Exinde corporis etiam perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex virtute nunquam proventura est, si non è bona mente, terra efflorescit. Adhuc breviorum illius summam re- (i) Summa ejus (Doctrinæ Confutii) inquit, King tien elo obsequendum & proximum adamandum esse. Ex d Veriore Philosophiæ Sinicæ cultum requiri, quod auatur, usurpetur & excolatur: Nam in eo fundamentum posuit Confutius. Hinc Compositionem Corporis, quæ ulcat, cum exigit primo ratione compositionis corporis, tum animum, perdomando scilicet, recteque moderans & appetitus. Deinde ratione Animi (1.) ut quis animum, sinceram ac ab omni fallacia fictioneque immunitatem sive voluntatem. (2.) ut quis perficiat in animum quem possumus apicem perducatur, penetrando omnes, sive rerum rationes vid. Completi Confutius, si- (j) Quæ sapius laudatus Spizelius (k) pluribus demonstratum Philosophiæ Sinicæ Compedium articulate atque, resolvendo illud in propriæ & alienæ perfectionis Normam, Emergentem denique utilitatem. Principia illa perfectionis rudimenta à splendore illo congestorum præceptorum Naturæ cœvorum observatio promovet,*

E 3

vet,